AUTHOR:

SEYFFERT, MORITZ LUDWIG

TITLE:

EPISTOLA CRITICA AD CAROLUM HALMIUM...

PLACE:

BERLIN

DATE:

1848

Master Negative #
93-81277-14

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Seyffert, Moritz Ludwig, 1809-1872.
...Epistola critica ad Carolum Halmium, de Ciceronis pro P. Sulla et pro P. Sestio orationibus, ab ipso editis. Berlin, Druckerei der Königlichen Akademie der wissenschaften, 1848.
51 p. 27½ cm.

At head of title: Nachricht von dem Königl. Joachimsthalschen gymnasium... Vorausgeschickt ist eine abhandlung des Herrn Professor Moritz Seyffert.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4-13-93 INITIALS JAMES
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS

BY APPLIED IMAGE, INC.

Nachricht

von dem

Königl. Joachimsthalschen Gymnasium

(Michaelis 1847 bis dahin 1848)

Vorausgeschickt ist:

Eine Abhandlung des Herrn Professor Moritz Seyffert:

Epistola critica ad Carolum Halmium, de Ciceronis pro P. Sulla et pro P. Sestio orationibus, ab ipso editis.

Berlin.
Gedruckt in der Druckerei der Königlichen Akademie
der Wissenschaften.

1848.

EPISTOLA CRITICA AD CAROLUM HALMIUM

DE CICERONIS PRO P. SULLA ET PRO P. SESTIO ORATIONIBUS AB IPSO EDITIS.

Tarde tibi reddo, amice optime, quod tuae erga me benevolentiae multo citius et datum debuit et ego me daturum ultro pollicitus eram. Quodutinam tuae exspectationi ac desiderio tam haec satisfaciant, quae aliquando ad te mittimus, quam te non prius missa non modo non graviter laturum, sed etiam facillime veniam daturum certo scio. Qua enim causa impulsus sum, ut scis, ut tibi honestissime petenti meque ad gloriosi operis tui societatem vocanti quamvis invitus deessem, eadem factum est, ut paene promissi me mei poeniteret statueremque illud tanquam ingratum onus abiicere potius quam quoquo modo perficere, nisi et amori tuo, qui in me maximus est, et meae fidei atque officio hoc a me deberi putarem, ut quidquid superesset a novi muneris gestione, quod me quamvis iactatum in scholastico opere nescio quo pacto ipsum novum imparatumque deprehendisset, omnes modo non exhaustos vel virium nervos vel temporis articulos ad illud unum intenderem, quod ad suscipiendum multo me ante et mutua officiorum coniunctio et animi mei voluntas sponte invitasset. Itaque forti alacrique animo, quem praesertim tua cogitatio mirifice recrearet languentemque erigeret, ingressum cursum nec ita longe provectum subito ex insperato oppressit illa communium temporum conversio, cuius motus ut omnes patriae partes omniumque rerum publicarum privatarum, humanarum divinarum statum non mediocriter labefactarunt, ita in haec quoque tranquillitati quasi consecrata studia, ad quae tanquam in portum ex quacunque tempestate confugere solemus, tantum illi importarunt turbinum, ut ne haec quidem satis refugii praeberent in ipsoque portu tanquam in alto iactari videremur. Tanta enim consecuta est ex summa ipsius procellae laetitia perturbatio, ex perturbatione angor, ex angore omnium rerum taedium, ut qui modo optima quaeque spe et animo concipere ausi essent, ii iam vel metu suspensi atque incerti titubarent vel ad desperationem abiecti prostratique iacerent vel denique languore aut aliqua animi aegritudine affecti consenescerent. Nec me, cum communem sortem vitare vellem, tantae rei parem esse intellexi: ita mihi quod alio tempore longe gratissimum factu fuisset, ut amicitiae munus praesertim diu debitum quam possem cumulatissime explerem, nunc, cum omnia infesta essent, satis grave ac prope molestum factum est; quod profecto non dicerem, ita se rem habere, nisi te non modo haec, quae dixi, aequi bonique consulturum, sed etiam illa, quae praeterii, facile mihi

remissurum putarem. Nam in ipso operis ingressu cum mihi, ut par est, illud ante omnia dicendum ac prae me ferendum videretur, cum quanti te semper fecissem absentemque absens amassem, tum nullum mihi in vita laetiorem diem apparuisse, quam qui te coram videndi opportunitatem attulit, tantum subito exarsit recordationis desiderium, ut mihi etiamsi liber animus neque aliarum rerum sollicitudine impeditus fuisset, tamen ipsa orationis vis, qualiscunque est in me aut etiam quaecunque est, tantae rei praedicatione satis digna videri non posset. Nunc proclivem alioqui in eiusmodi non artis, sed animi testimonia linguam praeclusit nescio quomodo inertia quaedam ex temporibus magis contracta, quam in ipso ingenio, si ita fas est dicere, insita. Tibi quidem, quae est animi tui bonitas, brevissima haec significatio satis videbitur diserta tantumque ex ipsa commemoratione voluntatis meae percipies voluptatis fructus, quantum vel caritate tua vel nostro officio ac fide non plane poterit videri indignum. Atque haec de re ipsa diximus, pro re vel potius pro rei forma pauca dicenda restant. In quo primum non nego me paene invitum ac repugnantem fecisse, ut veterem potius consuetudinem, quam meum iudicium animique sententiam sequendam putarem, qui cum ab ineunte aetate in Latinas litteras cognoscendas toto, ut aiunt, pectore incubuissem in iisque cum aliena auctoritate impulsus tum ipsius animi studio ductus vitae quasi tabernaculum posuissem, tamen quo longius in dies processi magisque vel in ipsius linguae rationes vel in optimorum scriptorum artificium insinuavi, eo minus putavi mihi in eo esse elaborandum, ut quam laudem bene scribendi multi vel aliis larga manu impertirent vel ipsi molli brachio appeterent, eam ipse ambitiosius sectarer, quam, quo totam rem revocandam censerem, puerilis institutionis rationes ac fines vel postularent vel paterentur. Quod igitur sive ingenii vitio, sive animi voluntate, certe iudicio semper refugi, id nunc ex longo intervallo primum recepi non quo exercitationis meae, quae in me nulla est, aut rationis, quae per se sola ad bene scribendum non valet, aut denique ingenii, quod a praeclara illa excellentique copia longissime abhorret, specimen qualecunque proponerem, sed ut, siqui forte essent, qui bonam de mea vel facultate vel arte exspectationem aliunde concepissent, quam me quidem nulla re iustaque caussa fecisse scirem, ut iis, inquam, quid mihi propositum esset in hoc genere sive doctrinae sive exercitationis, quod totum scholasticae palaestrae finibus circumscriptum videretur, ingenue aperirem reque ipsa illud a summis viris usurpatum confirmarem, aliud esse scire, quae sit norma ac quasi regula scribendi, aliud formam ipsam optimi scribendo exprimere. Alterum quod mihi excusandum videtur, magis ad te ipsum pertinet, quem si in disputatione saepe non ut amicum optimum, sed ut adversarium mihi infestissimum, denique non ut te, sed nescio quem aggressus videbor, dabis hoc, credo, cum ipsius concertationis generi, quod dicendi aculeos non modo non respuit, sed quodammodo sibi vindicat, tum meae consuetudini cuidam, ad quam cum ipsa natura imbutus tum optimi olim viri omnibusque rebus eximii disciplina institutus cum fuissem, ita eam nescio

quomodo imbibi ipsisque venis medullisque complexus sum, ut mihi ne canescenti quidem, quamvis cupiam, iuvenile quiddam ac fervidum deponere meque ex acriore sermonis cursu ad sedatum tranquillumque ingressum revocare liceat. Hoc igitur velim neve pluris facias, quam fieri par est, neve in eam partem accipias, ut in me transferendum putes illud a summo poeta nostrate in imitatoribus pusillis dictum. Postremo, ne tuam me exspectationem, sed exspectationem me ipsum fefellisse credas, cum mihi initio proposuissem omnes instituti tui, quae quidem in lucem editae essent, partes iudicio et aestimatione complecti, tantum in una Sullana versanti copiae disputandique materiae allatum est, ut mihi hac parva provincia quam possem diligentissime perfungi unamque rem accurate pertractare, quam multa leviter perstringere magis et ad tuam voluntatem et ad ipsius rei gravitatem accommodatum videretur. Itaque cum ad eos fines progressa esset unius Sullanae disputatio, qui huiusmodi scriptionis terminos paene superare viderentur, ut aliquid saltem adderem, quod tibi non iniucundum fore sperarem, alteram orationem Sestianam ita attigi, ut quosdam eius difficiliores locos magis percurrerem disputando brevique vel explicatione vel coniectura carptim illustrarem, quam operam tuam ad iudicium universum ac singularum rerum pertractationem vocarem. Quod quidem etiam iure meo facere videbar, qui te in hac oratione, qua haud scio an nulla vel melioribus emendandi praesidiis instructa vel summorum virorum curis diligentius perpolita sit, ita prudenter versatum cognoscerem, ut illorum vestigiis insistens de recta vel interpretandi vel emendandi via perraro deflecteres, imo editionem primum eam effeceris, qua quid esset, quod in illo perfectissimo Ciceroniani ingenii opere tantopere ferretur, omnibus tanquam in illustri tabula expositum pateret. Aliter res se habuit in

ORATIONE PRO SULLA,

in qua primum nihil erat critici subsidii tale, ad quod emendandi ratio universa certe posset revocari in eoque tanquam fundamento niti atque exaedificari; tum vero rei per se dubiae atque incertae non modo nihil lucis attulisse, sed ne afferendum quidem putasse videris. Tantum enim abest, ut vel omnino quid de singulorum fontium generibus existimares, generatim exposueris, vel qua quaeque scriptura auctoritate niteretur, diligentius explicaris, ut eam rem ab instituti tui ratione plane seiunxisse singulaque, quae quidem cognitu digniora viderentur, excerpere quam omnia undecunque colligere, collecta subtili iudicio ponderare maluisse videaris. Quod etsi facile ignoscendum puto, qui tibi primum suscipienti laborem discentium magis quam doctorum studiis dicatum rationem consilii, ut solet, non plane constitisse maiusque visum esse reputem explicationi orationis quam emendationi servire — quam rem quoniam alii ante me suis ac meritis laudibus prosecuti sunt, ego ut notam omnibus et contestatam silentio praeterii —, sed tamen in magna hac laude illud inesse vitii, quod te non satis quid esset fundamenti, quo tua explicatio niteretur, providisse diximus,

cum illa demonstrabunt, quae infra a me explicatiora dabuntur, tum vel hoc poterit esse testimonio, quod in annotationibus versatur ipsius orationis verbis a te subiectis. In quibus non modo hoc reprehendendum videtur, quod multa vel incerta reliquisti auctoritate nulla addita vel ita confirmasti, ut huius illiusve libri sive boni sive mali testimonium afferres, sed, quod maius est, nonnulla etiam falso tradita sunt fidemque nullam habent. Haec igitur accurate notare tecumque communicare visum est, si forte, id quod vehementer exopto, retractandi laboris tui occasio fuerit oblata. Sunt autem haec: IV, 12 mancam attulisti Ambrosiani memoriam: verbis *non modo animo nihil comperi* addi debebant *sed ad aures meas istius suspicionis famam pervenit*, unde Ang. Maius coniectura fecit *fama non pervenit*; VII, 21 quod dicis in Ambrosiano et Parcensi inesse *dices me fuisse*, in illo solo invenitur, Parc. habet *dicis me fuisse*; XIII, 36 commemorari oportuit in verbis *sed lege indicium et vide* cum Erfurtensi et Palatin. nonum et scholiastam Ambrosianum consentire; ibid. 39 repugnat Gruteri testimonio, quod tradis in Palatinis exstare *in indiciis et in quaestionibus*: *indiciis* quidem unus Ambrosianus et codex Lambini praebent; XIV, 40 falso in Erfurtensem contulisti scripturam *convertistis*, quae propria est Palatini IX et Parcensis; XX, 56 quod scribis *fortasse rectius Sittius*, id non tuae, ut videtur, coniecturae, sed testimonio Erfurtensis vindicare debebas; XXVI, 72 non accurate dicis ex ipso Erfurtensi expressa esse verba sic ut edita sunt *quis P. Sulla mitior, quis misericordior inventus est? quam multorum* etc.; *quam* enim ante *multorum* primum insertum est ab Hervagio e Gell. Noctt. Attic. VI, 16; XXVIII, 77 *deseruerit*, quod in duobus Oxoniensibus exstare dicis, in illis non inveni, quorum duo *deseruit*, alteri duo *deserit*, unus *deseritur* praebere traditur; XXIX, 81 non *in ista suspicione*, ut vis, sed *in ipsa suspicione* praebet Erfurtensis. Iam his breviter admonitis magis quam pertractatis aggredior ad id, quod huius quaestionis proprium esse supra demonstravimus.

Ac primum antiquissima auctoritate quomodo usus sis codicis palimpsesti Ambrosiani si quaerimus, quanquam quid omnino de eo sentires nullo loco aperte professus es ac fere tacitus quidque aut adscivisti ex illo aut reiecisti, hoc tamen vere licet praedicare, quod vitii in nonnullis castigavit Madvigius Opusc. Acad. I. p. 402, id in te ita non cadere, ut non modo non abuti praestantissimi codicis praesidio neque in illum transferre, quod ipse sustinere non posses, critici munus, verum etiam tibi ipse diffidere assensumque saepius cohibere tuum, quam quidquam, cuius non emineret atque exstaret veritas, admittere voluisse videare. Quanquam quis non videt hoc ipsum agendum faciendumque esse, quae per se bona fortasse tamen contra ceterorum ac vel optimorum librorum perspicuum testimonium cum sint, tum iustae dubitationi locum relinquant, ea ut quantum possit circumspectis rebus omnibus rationibusque subductis ex ambiguitatis contentione ad iudicii constantiam ac firmitatem revocentur? Quare videndum erit potius, ne in alteram partem peccasse videare

ac dum caves, ne ad temeritatis scopulos aut libidinis allidaris, in ipso aestu et agitatione fluctuum naufragium feceris. Atque, ut simpliciter dicam, quid mihi de hac parte operae tuae existimandum videatur, multis in rebus cur quidque feceris neque assequi potui rationes, si forte afferre ipse noluisti, neque allatas semper comprobare. Quod antequam demonstrare incipio, ne forte nova me aut recondita secutum opinere, tantum praemonendum arbitror, quod perlibenter facio, nihil in hoc genere a me ipso inventum aut ex fontibus abditis haustum esse, ad quos aditum non aperuerit illius viri, quem merito ut quendam criticorum deum veneramur, Io. Nic. Madvigii exemplum, id quod tibi quoque propositum fuisse in hac parte negotii transigenda, etsi nusquam palam professus es, tamen multis rebus adducor ut credam. Itaque quae ab illo universe disputata sunt de horum palimpsestorum genere et auctoritate Opusc. Academ. I. p. 402 et p. 413 sq., ea ita et nota omnibus et vera esse existimo, ut ab illo fonte et capite rivuli statim nostri deduci posse videantur, qui si non alii videbuntur ac tui, hoc tamen operam dedisse non poenitebit, ut remotis quoad eius fieri posset impedimentis ac salebris illi aequabilius paulo ac pellucidius profluerent. Age igitur ad singula accedamus ac primum ea persequamur, quorum rationes iudicii nec ipse ullas reddendas censuisti, nec ego omnino posse reddi idoneas existimo. Velut VII, 21 non video quid te inconstantiae crimine absolvere possit, qui uno loco Ambrosiani testimonium dupliciter egregium modo conservaris, modo abieceris: debebas *in eosdem* non magis quam *si verum* tueri et in hac re exemplum Klotzii sequi. Bene nuper de contentione particularum *si - si* commentatus est Iordan. pro Caecin. I, 3. p. 145 sq., quem et de hoc loco mecum consentire et in aliis idem tribuere antiquissimis auctoritatibus gaudeo; quae si vera sunt, ut sunt sane, patet non modo non levem, sed prorsus necessariam esse coniecturam Madvigii de Orat. pro Rosc. Amer. L, 145 propositam in Opusc. Academ. I. p. 121: nam bis acui contrariis relata contraria (*si - si - sin - sin*) non est consentaneum. — Maiorem aliquanto scrupulum iniecisse tibi videntur §. 92 verba *reiectione interposita*, quae ita recepisti ex Ambrosiano et qui illum sequitur Parcensi codice, ut tamen consilii te tui poenituisse animusque in alteram partem libri Erfurtensis, praesertim cui constans, ut videtur, vulgarium librorum suffragaretur memoria (v. Wesenberg. Observ. Crit. in Orat. pro Sestio p. 32), inclinasse videatur. Nec vero negari potest, utcunque de reiectione ipsa et de editionis quam habuit ratione iudicas, rem quamvis novam tamen ex auctoritate eius qui iudicium exercebat, non ex libidine accusatorum pependisse penesque illum fuisse, si forte ius suum isti acerbius persequerentur, quid extra ordinem fieri liceret constituere, hanc autem maiorem auctoritatem et ob id ipsum legitimam, quae est in rebus ad ius publicum pertinentibus consuetudo ac diligentia, rectius ac planius demonstrari *ex* praepositione v. Hand Tursell. II. p. 651. III, 1: nam illud vix mihi persuadeo, quod quis possit opinari additam esse praepositionem ab iis, si qui perspicuitati sententiae consulere et ne reiectio ad ipsos iudices

pertinuisse videretur cavere vellent. Credo igitur hoc ipsum exemplum iis esse adnumerandum, quae non diligentissime scriptum esse palimpsestum probare possint. Atque istius in omittendis vocabulis negligentiae documenta manifestissima haec habemus: §. 12 omissa vocula *vix* ita exhibet: *non modo animo nihil comperi, sed ad aures meas istius suspicionis famam pervenit*, quae pluribus modis vitiosa sunt; §. 26 scripsit *quis concederet?* intercepta videlicet ob consequentis syllabae *con*' similitudinem negatione *non*: hoc enim statuere tutius videtur, quam ludere coniectura ac nescio quid antiquae scripturae *quis non cederet?* hariolari. De tertio quodam loco qui est §. 92 *O miserum infelicem illum diem*, quoniam tibi video esse aliquid dubitationis subortum, nunc simpliciter affirmo, quod mox argumentis probaro, ne hunc quidem integrum et incorruptum haberi. His adderem quartum exemplum §. 25 omissae praepositionis *a* in *vv. est enim ipse a materno genere municipalis*, nisi hoc putarem ipsis antiquitatis rationibus a me esse tribuendum, ut id iis remittam, quod quamvis non abhorreat ab antiquo more loquendi, tamen ita cum recentiorum linguarum usu coniunctum ac quasi cognatum intelligam, ut facile a quopiam non vernaculo ad earum leges possit esse accommodatum: nam multum interesse, utrum *a matre* dicas, quod aliter non potest (v. Bremi. Sueton. Octav. IV.), an *a materno genere municipalis* apparet (v. Sall. Bell. Iug. XI. *quia materno genere impar erat*). Tu vero quid consilii secutus sis, qui hoc loco servandam praepositionem, illo autem, unde degressi sumus, delendam censueris, fateor me non intelligere. Quodsi forte duplicatae auctoritati Ambrosiani et Parcensis dandum putasti, quod simplici non dedisti, in Parcensi quidem te non recte statuisse iis, quae infra a me dicentur, faciam ut agnoscas. Nunc ut pergam disertus esse in taciturnitate tua, admonet me novum exemplum, quod ipsum videtur in simili genere inconstantiae versari. Etenim §. 15 quid caussae fuisset, quod ex uno Ambrosiano recipiendum putares hunc ordinem verborum: *Quae enim fuit Autronii causa? quae Sullae est?* statim mihi intelligere ac summo assensu comprobare videbar: qua in re tu quidem censendus es multo diligentior fuisse quam is qui ne commemoravit quidem Orellius; altero vero loco §. 39 repente dissimilem tui factum atque id esse secutum, quod paene nulla fide sustentaretur, vehementer miratus sum. Nam error est nescio quomodo susceptus, quod scribis in MSS. Palatinis exstare *in indiciis et in quaestionibus*; Gruterus quidam idem illos, quod vulgares libros, praebere testatur *in iudiciis*, alteram autem praepositionem in ceteris libris MSS. omissam utrum ex iisdem Palatinis an de suo addiderit, merito licet dubitare. Sola igitur, ut videtur, Ambrosiani auctoritate et ea verissima munitur *indiciis* — Lambini enim testimonio, qui ait se in uno libro mss. idem invenisse, quis tandem multum tribuerit? —: quo maior cautio erat, ne reliquam illius fidem temere quis aspernaretur. Cui si hoc velis opponere, nunc, cum de indicio agatur, de his primum proprie praedicandum fuisse, quod deinceps ad alias res genere coniunctas transferre liceret, equidem rursus ad probandum id, quod dicit, plus

valere existimo, si generi, in quo nemo negat, species, de qua ipsa quaeritur, subiiciatur, utrumque autem re coniunctum esse declaretur praepositione omissa: *in quaestionibus et indiciis*. Atque ut illud quoque adiiciam, quomodo mihi nata vulgaris scriptura videatur, verbis *in quaestionibus* explicationis gratia suprascriptum fuisse arbitror *iudiciis* idque ipsum pro indicio habitum, quae sequerentur verba *et indiciis*, ea nec per se recta nec loco suo posita esse. — Iam antequam ad ea progrediar, quae cur reiicienda putares apertius explanasti, unum locum attingam necesse est illum in medio et ipsum positum et a te relictum §. 41, ubi quod scholiasta habet Ambrosianus *institui senatores, qui—perscriberent*, ita fortasse praeferendum dicis vulgatae scripturae *constitui*, ut ad firmandum loquendi usum duorum exemplorum afferas similitudinem. Quod profecto parum erat, nisi illud quoque doceres, quid inter utrumque verbum et *constituendi* et *instituendi* discriminis interesset. Mihi quidem *constituere* videtur is potius, qui ipso magistratus iure agit, *instituere* autem is, quis rem parat atque administrat, quod si de hominibus dicitur, patet eadem ratione ac de rebus dici, ut sit comparare, qui certum quoddam munus in se recipiant. Quae si vera sunt, cum illud perscribendi indicia munus tale fuisse videatur, quod nec imperare consuli et mandatum senatori honeste liceret detrectare, haud scio an non sine invidia quadam dicturus fuerit Cicero: *constitui senatores*. Nam illud ab hoc loco alienissimum est, si quis explicari velit instituendi verbum in hanc partem, ut sit instruere ad aliquid aut rei agendae viam ac rationem praescribere idque ipsum in notis ac litterarum compendiis factum a Cicerone esse existimet, quod profecto nec potuit fieri illo dumtaxat brevissimo tempore et spatio, nec vero opus fuit in tanta senatorum consuetudine et celeritate scribendi. — Sequuntur ii loci, quos ante significavi a te non sine certa caussa et mea quidem sententia non recte esse reprobatos, quorum primus ex tribus est §. 21 *An tum in tanto imperio tanta potestate non dicis fuisse regem, nunc privatum regnare dicis?* in quo cum tripliciter discreparet scholiastae memoria a vulgaribus libris — qui enim *tu* exhiberent pro *tum* tam pauci inventi sunt, ut paene silentio praeterire liceat —, tu quidem cum duas eius scripturas et *tantaque potestae* et *dices me fuisse* libenter amplexus esses, in tertio *An tu* nescio quo pacto haesisti. Quanquam quid loquor? Ais tu quidem propterea *An tum* praeferendum videri, „quod pronomine quidem personali facile careamus, particula autem *tum* et propter contrarium *nunc* et propter vv. sequentia *in tanto imperio* fere necessaria videatur, quibus tempus illud praeteritum eadem ratione accuratius definiatur, quo deinde tempus praesens vocabulo *privatum* ad particulam *nunc* adiecto". Vereor equidem, ne longius paulo, quam tantae auctoritatis fines postulant, concinnitatis quoddam studium te protulerit. Quid enim? cum praecessisset consulatus mentio, ad illud tempus pertinere *tanti imperii* commemorationem cui non appareret? non item distinctum erat, quid sibi vellet, si simpliciter dixisset Cicero *privatum*, praesentis temporis indicio non expresso. Similis ratio est

loci pro Planc. XVII, 41. *An vero nuper clarissimi cives nomen editicii iudicis non tulerunt —, nos neque ex delectis iudicibus, sed ex omni populo, neque editos ad reiiciendum, sed ab accusatore constitutos iudices ita feremus, ut neminem reiiciamus?* in quo omissum *nunc* quis tandem desiderat? At enim *tu* erroris causam et originem prae se fert, siquidem littera *m* facillime ante praepositionem *in* intercidere potuit. Quod quanquam non negem quodammodo esse ad persuadendum accommodatum, nunc quidem ut aliud existimem ac pro vero habeam, adducit me illud, quod in omnibus libris praeter Ambrosianum et quem falso tradis eodem modo *dices me* exhibere Parcensem abesse dicitur pronomen *me*, ut mihi rectius coniicere hoc videar, *tum* illud ortum esse ex contractione verborum *tu me*, postquam *me* illud moveri loco coeptum sit. Vellem praeterea de temporum ratione mutata (*dices - dicis*), quam unam omnium elegantissimam unus servavit Ambrosianus, paucis absolvisses, quam in rem adhibere poteras quae sunt subtili iudicio disputata a Klotzio de Senect. IX, 29 et a Stuerenburg. pro Arch. p. 122. ed. pr. — Pergo ad huius orationis §. 28, in qua quod ab Ambrosiano traditum est *in qua civitate rem tantam gesserim* ceterorum scripturae *res tantas* vix putas praeferendum esse propterea quod modo Cicero dixerit: *quibus de rebus tam claris* etc., quae verba h. l. respiciat. Sed vide mihi universum locum. *Res enim gestae*, inquit Cicero, *meae me nimis extulerunt ac mihi nescio quos spiritus attulerunt. Quibus de rebus tam claris, tam immortalibus, iudices, hoc possum dicere, me, qui e summis eripuerim periculis urbem hanc et vitam omnium civium, satis adeptum fore, si ex hoc tanto in omnes mortales beneficio nullum in me periculum redundarit.* Iam sequuntur controversa illa: *Etenim in qua civitate rem tantam gesserim memini, in qua urbe verser intelligo.* Quid igitur? Nempe tu rem ita gessisti, ut mihi extorto de manibus gladio te tuo iugulare liceret atque hoc opponere, *rem tantam* praeferendum esse propterea, quod proxime Cicero dixerit: *hoc tanto in omnes mortales beneficio.* Quod quidem vel maxime faciendum existimo, qui, cur primum universe ille et infinite diceret *res meae*, causam fuisse certam intelligam, nihil videam cur, postquam eas ad unam summam retulit, infinite loqui aut iactantius pergere voluerit. — Extremo loco dicendum est de §. 36, in qua nescio quibus te disputationis laqueis irretivisti, quominus verum nullis obstructum difficultatibus statim arriperes. Si Allobrogibus nominatus erat Sulla a Cassio, ut erat sane, hoc ipsum non poterat pro argumento afferre Torquatius, nisi ab illis in indicio faciendo commemoratum esset; ad hos igitur, a quibus tota coniuratio pactefacta est, non ad alium auctorem quamvis gravem provocare debebat accusator: qui si nihil dixissent in indicio, quam tandem istud crimen vim haberet? Ac profecto, levissimus accusator esset, qui tam infirmo niteretur argumento, quod quam vanum esset ipsa ambiguitate sua satis proderet. An tu putas quidquam posse incertius aut ex accusatoris persona ineptius esse illo *Allobrogibus nominatum Sullam esse dicis?* quod profecto eiusmodi est, ut, nisi Ambrosiani memoria obstaret, Cice-

ronem putarem potius obscure *Allobrogibus* pro *ab Allobrogibus* dixisse, quam illo modo illaque sententia dixisse. Quae autem sequuntur verba, quoniam premere ea atque in rem tuam conferre potissimum videris, tantum abest, ut ab Allobrogibus in indicio nominatum Sullam negent, ut ita eum ab illis ipsis nominatum vel maxime demonstrent, quomodo ipsi de eo ex Cassio cum quaesivissent audiverant. Quod cum ita sit, Ambrosianio etiam in hac re obtemperandum scribendumque censeo: *Ab Allobrogibus* etc.; *Ab* autem praepositionem ante syllabam *Al* facillime potuisse intercidere non est quod moneam. — Haec fere habui de hac parte criticae tuae quae dicerem: quibus si videar vehementius deditus palimpsesti auctoritati ac paene addictus fuisse, hoc tamen quantum in me fuerit effecisse me puto, ne quis mihi aut temeritatem assentiendi aut iudicandi inertiam iure posset crimini dare. Neque illud tacuero, si quis forte in me iactare voluerit, in plerisque rebus meum iudicium a Klotzio non discrepare, sed tamen hoc interesse inter utrumque nostrum, quod ille quid quoque loco sentiret securo animo aliis divinandum reliquerit, ego quibus de causis singula statuerim meo periculo edisseruerim.

Dicendum deinceps est de libris MSS., in quibus nescio quo quasi fatali casu accidit, ut nullum ex iis, qui optimi et sunt et habentur, aut olim, cum liceret, accurate collatum aut nunc ad conferendum integrum haberemus. Nam ex *Erfurtensi* sive quod olim nominabatur *Thuringico Petri Suffridi* pro more illorum temporum singula excerpserat Gulielmius, quae cum post mortem viri redemptionis iure pervenissent ad Gruterum, suo ille iudicio quae sibi digna viderentur elegit, paucissima ex Zinzerlingi Promulside, qui librum propius inspexisse dicitur (v. Gruter. ad Cap. XXIV.) correxit atque emendavit. Quae quidem ipsa eiusmodi visa omniumque sententiis comprobata sunt, ut neque tum dubium esset, quin eius libri auctoritas ceteris longe esset anteponenda, et vero hodie, cum naufragia eius collegerunt Ed. Wunderus et Freundius, non modo illud iudicium egregie confirmatum sit, sed etiam eorum, quae interierunt, desiderium emerserit maximum. Nam ex vetere collatione Gulielmii, ut propriam illius laudem singulari commemoratione prosequar, duodeviginti locis oratio Ciceronis suppleta est et ita suppleta est, ut nemo unquam ne minimam quidem de ullius rei veritate dubitationem susceperit; sunt autem hi: §. 20 bis *pro huius periculis lacrimantes adspicere* et *nulla suspicio*; §. 26 *a me*; §. 28 *verser* idque contestatum a scholiasta Ambrosiano; §. 36 *suspicari viderentur* ex testimonio Zinzerlingi; §. 42 *ad vere referendum*; §. 45 *constitutas*; §. 46 *praeverterim ac perfregerim*; §. 48 bis *unquam* et *istud*; §. 50 *tui* (*officii*); §. 69 *animos mentesque convertere*; §. 70 *cogitasse*; §. 72 *quis misericordior inventus est*; §. 74 *vitam*; §. 80 *grave est hoc dictum fortasse, iudices*; §. 88 *ne denique . . . carior, metuit*; §. 89 *campi et*; quibus locis ex nova collatione Wunderi duo accesserunt §. 85 *nullius nuntio* et §. 88 *pristinam*; ipsa autem nova collatio tot tamque singulares scripturas ex minima illius parte in lucem protulit, ut et maxima hinc ad emendandum subsidia afferrentur et

tum denique quantam illus libri praestantiam fuisse putaremus certe constaret. Ita enim in hac parte orationis a ceteris libris, qui quidem collati sunt, non solum singulis rebus, sed toto prope genere distat, ut quoniam alii, qui ipsi non minimis laudibus feruntur, aut non iam relicti aut leviter et quasi per transennam inspecti sunt, ille in suo genere praestantissmus habendus sit. Quod ita dico, ut suam *Palatino nono*, quem Gruterus usurpavit, laudem non detraham, qui quin ex eodem fonte ductus fuerit, quo Erfurtensis, cum alia dubium non faciunt, tum illud maxime confirmat, quod quae ex illo ad integritatem orationis nova accesserunt, ea ab ipso quoque Palatino servata sunt; verum is aut nunquam, aut Gruteri certe aetate non iam integer fuit; desiit in sectionem alteram et quadragesimam. Quae vero propria in hac parte et ab Erfurtensi discrepantia habet, ea et ipsa pleraque sua virtute ac probitate commendantur nec tamen tantum valere putanda sunt, ut ab diversa origine ac stirpe repetenda videantur: adeo nec multa numero sunt nec de Gulielmii fide aut diligentia omnino praestare possumus. Ut enim hoc unum afferam, quem locum §. 34 unius Palatini noni remediis sanavit Gruterus, eum persuasum mihi est etiam in Erfurtensi incorruptum exstitisse; Gulielmio quidem aut per se aut propter marginis angustias longum videtur fuisse tot verbis continuatam orationem transcribere. Itaque de duobus his libris in hac oratione aliter erit existimandum, quam in Sestiana Vatiniana Caelianaque iudicandum esse demonstravit Madvig. Opp. Acad. I. p. 423 sq.: nullus neque ex olim collatis, quantum quidem ex singulis notatis colligere licet, neque ex vulgaribus, qui dicuntur, et recentiore aetate adhibitis integritate illos aequare visus est; mendis quidem et interpolationibus ipsos quoque non plane liberos esse non tam aliorum librorum praestantia edocti, quam ipsa re admoniti scimus. Quam autem prope ab illorum laude abfueruit vel *Bavaricus* sive *Tegernseeensis*, ex quo duas scripturas non contemnendas protulit Garatonius §§. 65 et 67, vel codices *Rubenii*, qui cum saepius cum Erfurtensi consentiant, ut §. 46 in *tute*, §. 48 in addito v. *istud*, §. 50 in *exuviis*, tamen sua quoque ac propria habent, ut §. 46 *pertulerim ac perfregerim* pro eo, quod in Erfurtensi inventum est *praeverterim ac perfregerim*, vel denique *cod. S. Victoris*, qui ne in hac quidem oratione spernendus videtur, id propter paucitatem eorum, quae enotata sunt, in medio est relinquendum; tantum dico de *Memmiano Lambini*, quod mihi saepius deprehendisse videor, suspectiorem esse eius fidem, quam quae cum ceteris testimoniis possit comparari. Quamquam quid haec enarro aut tibi dico, cui notissima et debent esse et sunt? Nimirum non veritus sum, ne tu moleste ferres eiusmodi studium, quod tibi non quae optime scires inculcaret, sed meae qualiscunque diligentiae fidem faceret, qui cum viderem a te tantam rem silentio plane praeteriri, ab Orellio autem perquam breviter perstringi, haec duo mihi providenda intellexerim, ut et suspicionem vitarem tanquam temere aliis credidissem et tantum ad ipsam disputationem auctoritatis afferrem, quantum accurata rerum cognitio facile posset conciliare. Ut igitur de *Er-*

furtensi prius dicamus, tres loci ex vetere collatione Gulielmii relicti erant controversi: XXIII, 64 *propulisset* et XXV, 70 *grassatum* et XVI, 46 *praeverterim ac praefregerim*; nam quartum quiddam XIV, 55 *Balbum* pro *Bellum* patronum invenit neminem. Ac ne duo quidem priora illa comemorarem, quoniam a te et Orellio nihil dissideo, nisi hoc dandum putarem dissentienti iudicio et auctoritati Reinholdi Klotzii, quem tu quidem videris prorsus contempsisse, ut rem diligentius disputatam, si possem, profligarem atque ad exitum adducerem. Prior locus XXIII, 64 sic se habet: *Si paulo etiam longius, quam finis quotidiani officii postulat, pietas et fraternus amor L. Caecilium protulisset, implorarem sensus vestros* etc. *Protulisset*, inquis, idem est quod *provexisset*, affersque ex Or. pr. Mur. XXXI, 65 hoc: *Stoici mihi videntur fines officiorum paulo longius, quam natura vellet, protulisse.* Vix me hercule tenere potui, quin tibi non tam meo quam Klotzii nomine subirascerer; quid est enim aliud reiecto scuto fugere obiicere, quod sit cavillatione magis elevandum, quam contentione frangendum? Nam nec idem esse *protulisset* quod *provexisset* et loci, quem laudasti, diversissmam rationem translationemque esse quis tandem non viderit? Ut igitur quid sentiam si minus exemplorum similitudine, quae non suppetunt, at brevi argumentatione demonstrem, officii intelligo certum cursum finesque circumscriptos esse, sicut sunt in spatio et curriculo, non in cursu maritimo: quemadmodum in spatio qui vel deflectunt de curriculo vel prolabuntur vel haerent ad metam vel *cursu longius efferuntur* (Liv. III, 5, 6) vitiosi sunt, item res se habet in officio, in quo qui quid extra modum fecerunt, fecisse cupiditate aut aliquo vehementiore motu atque impetu elati videntur. Ac de *efferendi* quidem verbo res notissima est, ut ne opus quidem sit aut alia aut nostra afferre ad Lael. p. 352; *proferendi* autem verbum cum ex eodem genere translationis ductum sit, tum hoc loco praestare nimirum visum est iccirco, quia melius conveniret congrueretque cum v. *longius*. Lucanus quidem Pharsal. II, 493 nulla eiusmodi causa, sed plane eadem ratione dixit *calida prolatus ab ira*, quo loco quae Cortius de verbi vi et usu disputasse dicitur, doleo mihi ad manus non esse. Longe alia ratio est verbi *propellere*: quae enim non sponte moventur aut lentius progrediuntur, ea propelluntur vi quadam extrinsecus allata, ut navis remis Tusc. Disp. IV, 5, 9 *quaerebam igitur, utrum panderem vela orationis statim an eam ante paululum dialecticorum remis propellerem.* Itaque non nego recte dici aliquem ad impietatem aut aliquod facinus, quod invitus ac recusans suscipiat, propelli (προάγεσθαι); sed qui suo motu incitatus instinctusqus longius quam par est fertur, is *effertur* aut *profertur*, non *propellitur*. Ac ne *provexisset* quidem ad talem motum, qualis L. Caecilii fuit, accommodatum erat, quod si translate dicitur, vel de iis rebus ponitur, quae cum aura, ut favor populi, spes, alia, similitudinem habent, vel ad flumen cursumque verborum traducitur, vel denique in cupiditatibus adhibitum repentinum quendam impetum tanquam ventum intemperantiamque libidinum potius quam vim leniorum animi motuum significat. Accedit, quod quo

quis provehatur accurate definiendum est, cum *proferendi* aut *efferendi* verbi absoluta sententia sit. Ut recte dixeris — libet enim exemplo uti ex his ipsis rebus petito — eo provectum esse *grassandi* studio R. Klotzium, ut id verbum non modo in hanc orationem inferret XXV, 70 pro communi scriptura *versatum* (*in omni flagitio, stupro, caede*), cum quidem videretur suo quodam iure in optimi libri Erfurtensis auctoritate acquiescere, sed etiam neglectis contra ac solet librorum testimoniis ex coniectura, ut videtur, Iannoctii reciperet pro Rosc. Amer. LII, 150 *ea crudelitas, quae hoc tempore in re publica grassata est.* Erat tanti, credo, admirabilem consensum Ciceronis et Curtii commemorare: nam eodem modo ille V, 6, 6. *Neque avaritia solum, sed etiam crudelitas in capta urbe grassata est.* Sed praestat rem seriam agere et illud *grassari*, quod nemo veterum se in Ciceronis scriptis invenisse testatur, in librariorum potius errorem quam in ipsius Ciceronis iudicium conferre. Quod ut ita faciendum statuerem, ut ne Erfurtensis quidem auctoritate adducerer ad amplectendum, quod vocant, ἅπαξ εἰρημένον, his maxime rationibus commotus sum. Primum res docet, Ciceronem illo verbo, quod antiquum ac priscum esse constat, plerumque abstinuisse maluisseque vel simpliciter dicere *versari in*, vel si res gravius efferenda aut exaggeranda altius esset, *bacchari*, ut Catil. IV, 6, 11 *versatur mihi ante oculos adspectus Cethegi et furor in vestra caede bacchantis.* Ipsum autem *grassandi* verbum, quamvis ornatu quodam suo insigne sit, tamen ab iis scriptoribus, qui de recta dicendi consuetudine deflexerunt, ita adamatum frequentatumque esse videmus, ut paene putandum sit ab librariorum cognitione remotius fuisse simplex illud ac nudum *versari*, quam hoc vehementius illuminatum *grassari*: ut non iniuria hoc statuere videar, librarium Erfurtensem *grassatum* scripsisse non litterarum errore inductum, sed, quod saepenumero factum videmus in transcribendo, cum res magis quam verba tenentur, synonymorum permutatione. Qua de re nonnulla diximus ad Lael. p. 497, cum illud adderemus, non paucas res, quae vulgo pro interpretationibus nescio cuius haberi solerent, ad hoc genus erroris referendas videri. An tu putas id, quod in ceteris omnibus libris invenitur de imp. Cn. Pomp. I, 2 (*tribuendum esse*) *censuerunt*, ortum esse ex interpretatione verbi, quod in uno Erfurtensi exstare dicitur, *duxerunt*? Quod profecto nec per se credibile est nec in illo loco Wunderus (Var. Lectt. p. LXIV) persuasit Orellio. Quid? quod ne Ellendtio quidem assentior, quae de permutatione verborum *redundat* et *madet* dixit de Orat. III, 56, 215. P. I. p. 570. Eiusmodi exempla innumerabilia afferri possunt, in quibus saepe maxima cautio sit, ne vulgari illa ac trita criticorum cantilena decepti quod exquisitius videatur ac longius repetitum, id pro vero habeamus atque defendamus. — De tertio loco, quem supra nominavimus, XVI, 46. *Nemo unquam me tenuissima suspicione perstrinxit, quem non praeverterim ac perfregerim*, quoniam ita probasti Erfurtensis scripturam, ut eam facili coniectura emendatam velles, liceat mihi tum dicere, cum quid omnino de coniecturis tuis existimandum videatur explicabimus. Pergo igitur nunc

ad novam collationem Ed. Wunderi et Freundii ac primum ea recenseo, in quibus tuum iudicium a Klotzio recte videtur dissentire. Velut XXXIII, 92 in vv. *vos — iudices consedistis ab accusatoribus delecti ad spem acerbitatis, a fortuna nobis ad praesidium constituti*, quid secutus ille quod est in Erfurt. *destituti* pro *constituti* receperit, prorsus fateor me ignorare. Gracchos quidem ac Naevios, ne dicam Faunos ac vates, in hunc modum locutos esse video, quorum ex tenebris ac situ erutum iterum est ab iis, quibus communis dicendi mos fastidio esse coepit; Cicero vero et optimus quisque scriptor nunquam, quod sciam, ea vi *destituendi* verbo usus est, qua vulgo *constituendi*, sed hanc ei addiderunt vim, quam sponte afferret praepositio *de*, ut esset statuere aliquem ita, ut solus ab aliis relictus aut desertus sit, ac sive proprie sive translate dicendum esset, adiicerent fere, quo rem dilucidiorem facerent, coniuncta nomina *solum*, *nudum*, *inermem*, alia. Itaque Cicero Verr. V, 42, 110, quod antea IV, 40, 86 simplicius dixerat *ut Sopatrum — nudum constituant*, idem illo loco expressius sic: *qui — nudus paene est destitutus*; quippe maius, ut ait Zumptius, *destituere* tanquam desertum. Adde Verr. II, 30, 74 *solus destitutus*; Caes. Bell. Civ. III, 93, 5. *omnes sagittarii funditoresque destituti inermes, sine praesidio, interfecti sunt*; pro Caecin. XXXII, 93 *hunc vero, qui ab iure, officio, bonis moribus ad ferrum, ad arma, ad caedem confugerit, nudum in caussa destitutum videtis*, ubi vid. Iordan p. 279. Semel, quod sciam, simplex verbum adhibuit Cicero ad quoddam contumeliae genus significandum Verr. III, 26, 66. *Videtis pendere alios ex arbore, pulsari autem alios et verberari; porro alios in publico custodiri, destitui alios in convivio*, quod explicant *seorsum constitui, ut aliis ludibrio sint*, appellantque Livium X, 40 *cohortes extra vallum sine tentoriis destitutae*; qua de re mihi quidem subdubitandum videtur, qui et Livium sciam nullo eiusmodi discrimine *destituendi* verbo tanquam *constituendi* saepius usum et Ciceronem cum nunquam ita dixisse, tum illo loco minus dixisse quam par erat intelligam: quid moris fuerit Verri, illa exempla docent, quae duo ex Accusatione prima collocavi. Sed iam audio aliquem ita interrogantem: Quid tu igitur facies de loco Sullanae XXXII, 90 hoc: *Sed cum huic omnia cum honore detracta sint, cum in hac fortuna miserrima ac luctuosissima destitutus sit, quid est, quod expetas amplius?* Ad quae primum hoc respondeo, non mihi satisfacere eam explicationem, quam tu ab Ernestio accepisti: quid enim, quaeso, sibi vult istud *constituere in deteriorem partem?* an qui in convivio destituitur, in ipsa mensa, sed in deteriorem partem constituitur? Ego vero eum, qui in fortuna aliqua destitutus sit, nego ita esse destitutum, ut qui constitutus sit quamcunque in partem, sed *destituendi* verbi, quod quidem ad Ciceronis usum attineat, plenam et absolutam sententiam ita esse, ut loci cogitatio cum ipsa verbi vi non cohaereat, idque de iis quoque exemplis esse existimandum, quae ex Curtio VII, 13, 12 et VI, 37, 1 attulisti, in quibus ipsis *destitutus* eum significat, qui sine auxilio aut praesidio est, cui nec res nec spes est relicta, qua vi a posterioris

aetatis scriptoribus celebrari coeptum est (v. Brem. Sueton. Ner. XXXII, 540). Cicero quidem, qui soleat diligenter definire vel a quo vel qua re quis destitutus id est desertus vel orbatus sit, ab illo usu simplicis verbi videtur abhorruisse, nisi ex additis nominibus, quae supra nominavimus, in quam partem accipiendum esset satis appareret. Qua de causa in illo quoque Sullanae loco, ad quod praesertim instituta ratio imaginis invitet (v. Brut. LXXV, 262 *nudi enim sunt omni ornatu orationis tanquam veste detracta*), scribendum censeo: *cum in hac fortuna — luctuosissima nudus destitutus sit*; *nudus* enim quomodo inter *ma* et *des* syllabas intercidere potuerit facile cognoscitur. — De altero loco, qui est XXXIII, 93. *In quo ego vos, iudices, quantum meus in vos amor postulat, tantum hortor, ut communi studio, quoniam in re publica coniuncti sumus, mansuetudine et misericordia nostra falsum a nobis crudelitatis famam repellamus* agam quam brevissime potero. Nec mentem dicentis nec artificium perspexerunt, quicunque *misericordia vestra* scripserunt. Triplex, si quid video, causa fuit, quare iudices ille ad lenitatem et misericordiam adhortaretur, quarum prima ab ipsa causa ac rei fortuna ducta est, altera in iudicum ut ex reiectione sedentium fama et opinione posita; tertiam vero, quae quidem quantum ei curae fuerit vel ex eo cognoscas, quod inde totius orationis initium fecerit, eam non potuit non coniungere cum suis rebus itaque redire illo, unde exordium duxerat; quae cum hoc spectaret, ut ab ordine, cuius et ipse et iudices essent, invidiam repelleret illam crudelitatis opinione contractam, profecto ut studium, ita rationem eius quod vellent consequendi utrique communem habebant mansuetudinis et misericordiae. Ac ne sic quidem recte defenderis *misericordia vestra*, ut dicas esse ablativos, quos vocant, absolutos hac sententia: *cum vos sitis misericordes*; quod nec per se erat cur inculcaretur, cum in ea adhortatione omnis illa versaretur oratio, et ita modo recte additum esset post *communi studio*, si secum haberet *quoque* vel *etiam*. Sed ut in his, quae modo diximus, causam fere agnovi iustissimam, quae te ut a Klotzii iudicio dissentires impulerit, ita in aliis cur ab ipso sive ab Erfurtensi discesseris, qui soleas in minimis eius rebus tuendis, modo ne aliquo genere vitiosae sint, esse religiosissimus, fateor me non intelligere. Quo in genere primum id repudiasti §. 81, quod cum ipsa orationis varietate tum etiam gravitate praestaret sua: *num inveterata quam recens debuit esse gravior?* In talibus rebus quid tandem sequendum putas nisi optimos libros? aut quo iure appellas optimos, quos non sequendos ducas? Gravius etiam errasse mihi videris de verbis eiusdem sectionis his: *Sed si tuus parens etiam in illa suspicione periculi sui tamen humanitate adductus advocationem hominis improbissimi sella curuli—honestavit, quid est, quam ob rem consulares, qui Catilinae adfuerunt, reprehendantur?* Quod enim Erfurtensis praebet *in ipsa suspicione periculi sui*, non ita dictum esse apparet, ut culpam parentis augeat, sed ut minuat quodammodo atque mitiget rem non ex alia causa aut ex certa scientia, sed ex ipsa suspicione profectam (*bei dem, was nur ein Verdacht war*):

id enim flagitabat cum ipsius viri, L. Torquati, gravitas et fides tum omnium consularium, quorum nunc causam agit Cicero, constantia et auctoritas. Neque pluribus opus est ad defendendam eiusdem libri memoriam §. 88. *Nam ipse quidem, si erit vestro iudicio liberatus, quae habet ornamenta, quae solatia reliqua vitae, quibus— laetari possit?* quo et recta argumentationis via deducit: nam cum ita ad iudicum misericordiam confugisse dixisset Sullam, ut tantum nominis sui nefariam notam ac turpitudinem vitari, non calamitatem suam propulsari cuperet, hoc cur nollet non aliter potuit demonstrare, quam negando, quod fecit, praeter illius labis liberationem quidquam ei ad solatium vitae, quae quidem superioris iudicii calamitate omnibus ornamentis privata esset, iam esse *reliquum*. Huius igitur verbi vim ipsa illa collocatione insigniorem fecit, de qua repetere nolo quae dixi ad Lael. p. 157. Restant ex hoc genere duo loci, quorum de altero §. 92 *ex reiectione interposita* iam supra diximus, cum in disputatione versaremur scholiastae Ambrosiani, alterum autem §. 86 *qui hanc libertatem, qui populum Romanum — servastis* vindicabimus tum, cum erit delapsa oratio ad librum Parcensem. De uno loco, qui est XXX, 84. *Quid ergo? hoc tibi sumis, dicet fortasse quispiam, ut, quia tu defendis, innocens iudicetur?* neque tibi neque Klotzio assentior. Novi equidem exempla qualia sunt de Fin. V, 4, 11. *Vitae autem degendae ratio maxime quidem illis placuit quieta, in contemplatione et cognitione posita rerum, quae quia deorum erat vitae simillima, sapiente visa est dignissima*; Lael. II, 6. *Tribuebatur hoc modo M. Catoni, scimus L. Atilium apud patres nostros appellatum esse sapientem, sed uterque alio modo: Atilius, quia prudens in iure civili putabatur, Cato, quia multarum rerum usum habebat*; de Orat. I, 41, 186. *Quod quidem certis de causis a plerisque aliter existimatur, primum quia veteres illi — pervulgari artem suam noluerunt,* alia; verum hoc loco cum causae commemoratio cum ipsa obliqua oratione, non cum eo verbo, unde illa suspensa est, connexa sit atque cohaereat, indicativum illum *defendis*, qui ne temporis quidem ratione satis suspicione liber sit, merum soloecismum esse existimo. Postremo hoc mihi addendum esse video, quod pertinet ad duos illos locos collationis Freundianae XXX, 84 *meum caput obtuli pro patriae periculis* et XXXII, 91 *uno malo afflictum*, de iis nihil me habere, quod sententiae tuae et iudicio opponam. — Licet igitur ab Thuringis ad *Palatinos* progredi levique excursione, dum tua vestigia persequor, num quae fugerint perlustrantis aciem aut etiam offenderint, quae fortasse non recte adspexisses, recognoscere. Itaque in ipso introitu, cum tibi duorum locorum lumina valde arrisissent §. 2 *sed ut ille vidit* et § 6 *deserendos esse non putant*, non multum progressus nescio quo pacto caecus factus es ad id, cuius non magis lateret species nullo fuco adulterata §. 11 *quod me ambitio et forensis labor ab omni illa cogitatione abstrahebat.* Quid enim tandem sibi vult istud *mea ambitio?* an quidquam obscurius aut implicatius potest esse illa interpretatione: *die Bahn des Ehrgeizes, die ich mir gewählt hatte?* Ista quidem cupiditas, cum tota

sit in honores conversa, unam habet ac simplicem rationem in ipsis honoribus positam, nisi forte civilium rerum ac bellicarum generibus divisam putas. Quod ut ita esse possit, tum vero quid Ciceronis interfuit, ut sibi togam et forum placuisse potius, quam omnino hominum gratiae studuisse id est in ambitione versatum se esse significaret? Ac si dixisset *mea ambitio* ea vi, qua vis, ut esset *propria illa quae me tenebat*, quo iure id suum dixisset, quod ipsi cum multis commune esset? Veteres enim Romani, qui quidem non humili loco nati essent, cum omne tempus ac studium rei publicae transmittendum putarent in eaque versari libero ac forti viro dignissimum ducerent, non id quaerebant, quid sibi proponerent, ad quod vitae cursum dirigerent — is enim erat honor a populo mandatus, ex quo non modo laboris fructum amplissimum perciperent, sed etiam bene de civibus merendi occasionem praeclarissimam ducerent —, sed hoc tantum constituebant, quam viam ingrederentur, qua ad laudem et honorem aditum sibi pararent. Erant autem duae viae, quibus vel maiorum imitatione ducti vel suam quisque naturam secuti eo, quod sibi proposuissent, contenderent: aut enim stipendiis faciendis rei militari operam dabant, aut in iure civili versantes amicorum periculis ac temporibus opem ferebant. Ad omnes autem aeque pertinebat ambitio in his ipsis rebus integerrime occupata, ut non ipsa ambitio, sed ambitionis occupatio id demum sit, quod quis proprium habere eoque ante ceteros excellere possit. Quare nunquam Cicero, quod sciam, suam ambitionem, sed suam industriam iactavit; vide sis praeter eum locum, quem ipse laudasti, huius orationis IX, 26 *ille labor meus pristinus*; Phil. VII, 3, 7 *omne enim curriculum industriae nostrae in foro, in curia, in amicorum periculis propulsandis elaboratum est;* ibid. VIII, 4, 11 *quem enim cursum industria mea tenere potuisset sine forensibus causis?* Propriam alicuius ambitionem dumtaxat eam dici posse existimo, quae non consueta ac legitima via ad honores pervenire, sed malis artibus aliorum gratiam captare studet. Alia res est, cum cuius sit ambitio pronomine est definiendum, velut ad Attic. I, 4. *Domitii, in quo uno maxime ambitio nostra nititur*; ad Famil. V, 20, 7. *Sane moleste tuli non illa beneficia tuae potius ambitioni reservata esse quam meae, qui ambitione nihil uterer,* aliis locis ap. Ern. Clav. Cic. s. v. Haec autem, quae dixi, te ipsum praeteriisse eo magis miratus sum, quod tibi in promptu fuisse videbam ea exempla, quae pro re satis loquerentur, ad Attic. I, 17, 2 *An in forensi labore? quem antea propter ambitionem sustinebam, nunc ut dignitatem tueri gratia possim*; de Orat. I, 1, 1 *si infinitus forensium rerum labor et ambitionis occupatio decursu honorum, etiam aetatis flexu constitisset.* — Non magis mihi probantur, quae commentatus es de Sull. V, 17 verbis his: *Postremo, eiecto sive emisso iam ex urbe Catilina, ille arma misit, cornua, tubas, falces, signa, ligones; ille relictus intus, exspectatus foris, Lentuli poena compressus convertit se aliquando ad timorem, nunquam ad sanitatem,* quo loco cum Orellio et Klotzio optimi libri Palatini noni repudiasti auctoritatem (*fasces*), idem unius deterioris testimonium Genevensis (*ligones*)

amplexus es. Atque ut taceam vix esse credibile, ut res illae ab Autronio missae tam confuse a Cicerone tamque praepostero ordine enumerarentur, ut quae genere coniuncta essent, ea nescio quo pacto segregarentur alienissimis immiscendis: nisi forte ingeniosior quis hac ipsa in re nescio quid praeclari consilii veritatis imitandae deprehendisse sibi videtur; quem quidem errorem dum vitas, in alium incidis de Catil. II, 6, 13, quo ipso mirum ais videri, *fascium* esse inter *secures* et *tubas* locum, quasi secures instrumenti bellici sint genus ac non cum ipsis fascibus arctissime coniunctae: verumtamen ut rerum istam taceam perturbationem, quam tandem ob rem missos putamus *ligones*? Scilicet quibus castra munirentur, ut ait Orellius. At erant collocata Manliana castra neque tam id agendum illo tempore, ut ea quam firmissimo essent opere, sed ut quam celerrime inde ad ipsam urbem fieret accessio (v. Catil. III, 4, 8). At ne *legiones* quidem habent, quo sese recte tueantur. Quod ego non modo non nego, sed argumentis etiam certissimis confirmare me posse confido. Nullas Autronii partes neque in concitandis sollicitandisque servitiis susceptas neque in urbanis facinoribus patrandis descriptas proprie fuisse, videre licet ex Sallust. Catil. XLIII, 1. 2. XLVI, 3. Cic. Catil. III, 6, 14; in urbe eum relictum esse ipse dicit Cicero h. l. An ex urbe misit legiones? Id quidem imperatum Lentulo erat (v. Sall. Catil. XXXIX, 6. XLIII, 1), ut quoscunque moribus aut fortuna novis rebus idoneos crederet, aut per se aut per alios sollicitaret. Quodetsi omnia illi cum Autronio coniunctissima fuisse scimus ex huius orat. §. 16, istae tamen copiae non erat cur in castra Manliana mitterentur: in urbe remanserunt, ut incendio facto ad Catilinam erumperent. Sall. Catil. XLIII, 2. Cic. Catil. III, 4, 8. Neque vero requirebat eas Catilina, quem ex ea copia, quam et ipse adduxerat — adduxerat autem partim ex urbe, qui quidem numero pauci fuerant (v. Cic. Catil. II, 2, 4. Sall. Catil. XXXII, 1. 2), partim ex agro Arretino (Sall. l. l. XXXVI, 1) — et quam Manlius habuerat, duas legiones instituisse docemur testimonio Sallustii Catil. LVI, 1. Quid Cicero? nonne et in Catilinariis orationibus et aliis saepe locis, velut pro Mur. XXXVI, 78, non tam timendum esse exercitum L. Catilinae dicit quam copias illius in urbe relictas? Non misit igitur legiones Autronius id est instructos militum exercitus, sed, quae est coniectura, si modo coniectura nominanda est, A. Augustini et Huldrici: *signa legionis*. In quo *legionum signa* aut infinitius *militaria*, ut Catil. II, 6, 13, ne exspectes, hoc quidem loco putandus est Cicero illum in modum locutus esse, ut iustum illud bellum fuisse, non latrocinio comparatum, planius aliquanto significaret indeque maiorem rei invidiam et indignitatem afferret: quam sententiam vix potuisse aliter verbis exprimi nisi singulari numero, certe qui eius vim cognitam habebit non repugnabit. Cfr. quae diximus ad Lael. p. 324. 526. De scriptura autem Palat. *fasces* plane assentior iis, quae disputavit Iordanus addoque non parvam videri eius rationi veritatis speciem accedere inde, quod ipse Cicero in prima oratione Catilinaria IX, 24, qua in praesentem illum invectus est, nihil commemorat esse praemissum praeter ar-

genteam illam aquilam, ut paene in secunda oratione VI, 13 *secures et fasces* de sua vel suspicione vel fama addidisse videatur, etsi consentiunt cum Cicerone in hac memoria Appian. Bell. Civ. II, 3 et Plut. V. Cicer. c. XVI. — Iam ut omittam illo ipso Palatino nono quantum lucis allatum sit perturbatissimis verbis XII, 34 (*atque etiam in praetura fuisset — particeps exstitit*), eundemque a vero unum omnium proxime abesse X, 31 in vv. *nemini mirum est* atque soli in his cedere Ambrosiano, ad duos locos festinat oratio, quorum alter cum iustam aliis attulisset dubitationem idque quale esset explicatum iam esset a gravissimo viro, Garatonio, haud scio an levius tractatus ab te ac paene abiectus videatur. Etenim XIV, 40 cum se deorum opera fecisse, quidquid fecisset in consulatu Cicero professus esset, rem amplificando sic est persecutus: *vos profecto animum meum tum conservandae patriae cupiditate incendistis, vos me ab omnibus ceteris cogitationibus ad unam salutem rei publicae contulistis, vos denique in tantis tenebris erroris et inscientiae clarissimum lumen praetulistis menti meae.* In his igitur Palatin. nonus cum Parcensi nonnullisque, ut videtur, Oxonn. loco *contulistis* exhibent *convertistis*, quod ita amplecteris, ut vulgatum *contulistis* „certo originem traxisse" dicas e seq. *praetulistis*. Mihi non modo certo, sed ne certe quidem ortum alterum ex altero persuadebitur, qui quomodo praecipi mente et animo ex posteriore sententia verbum transferrique in priorem possit non intelligam, intelligam profecto repetitionem eiusdem vel similis verbi corrigendi ansam dedisse. Atque ut multis saepe locis, sic hoc quoque Ciceronem ut credam annominationis quam vocant ornamentum secutum esse, de quo ipse exposuisti ad IV, 12 p. 65, facit maxime verborum ordo ad hanc ipsam rem compositus eamque prae se ferens, quode vide, quae supra laudavi, mea ad Lael. p. 157. At vero nemo unquam dixit *conferre aliquem ab re ad rem.* Quod ita verum est, ut dici tamen omnino non potuisse negaverim. Quid enim? Concedis certe recte dicturum fuisse Ciceronem: *ego me ab — cogitationibus ad unam salutem rei publicae contuli*: quidni idem, cum id divinitus factum esse declaret, mutata modo persona, re ipsa verbisque servatis ita efferat: *non ego, sed vos — me contulistis?* Nam hanc esse illorum verborum sententiam, modo *vos* illud acutissimo sono pronuntiatum statuas, sua sponte apparet. Vides igitur singularem esse huius loci condicionem neque cum iis comparandam, quae Ernest. Clav. Cic. s. v. *conferre* contulit, sed eam tamen talem, in qua nihil ab ratione abhorrens neque in ipso acumine sententiae nimium aut insulsum sit. — De altero loco VII, 21 *quo in magistratu non institutum est a me, iudices, regnum, sed repressum*, cum nemo inventus esset, quin hanc scripturam assensu suo comprobaret, ego ut aliter statuerem noli me obloquendi ulla aut repugnandi libidine impulsum, sed ipsa artis veritatisque verecundia commotum putare: quo magis mihi videor ut in re aperta et manifesta paucis posse defungi. Nam cum in uno Palatino nono *repressum*, in ceteris omnibus aut *permissum* exstet, quod corruptum esse apparet, aut *non permissum*, quod correctorem videlicet

felicissimum arguit, facilius ego ceterorum sententiae et quam unicam laudant auctoritati concederem, nisi id ipsum *repressum* tale esset, quod cum non facili errore cum vulgato illo *permissum* confundi posse videatur, interpolationis suspicionem movere deberet. Quare antiquitus id scriptum fuisse arbitror, quod et unde *permissum* ortum sit planius multo certiusque faciat et rei ipsi non minus conveniat quam *repressum*: est autem hoc: *non institutum est a me, iudices, regnum, sed praecisum.* Nam Ciceroni quoque non inusitatam esse huius verbi translationem ipsumque dixisse *praecidere libertatem vivendi, reditum*, alia, non est quod multis edisseram. Nunc, antequam hanc concludam disputationem, video mihi paulisper etiam esse commorandum in eo loco, qui quoniam satis gravi auctoritate id videtur confirmare, quod multi non modo veteres sed etiam recentiores grammatici sibi persuaserunt, particulas *non modo — sed* vel *sed (verum) etiam* ita dici quasi alterum *non* omissum sit, aut, qui rectius intelligere sibi videntur, propriam quandam earum vim esse, quae faciat, ut in una eademque re utrovis modo vel omissa negatione vel posita loqui liceat, digna sane mihi res visa est, quam quoniam tu non attigisses, ego, ne error longius serperet, paulo disputarem diligentius. Etenim X, 21 unus, quod constet, Palatinus nonus omissa negatione sic habet: *Statuerant tantum esse illud maleficium, quod non modo occultari per se, sed etiam aperiri illustrarique deberet*; quod cum non modo a R. Klotzio, qui de ea re pluribus exposuisset ad Tuscul. Disp. II, 5, 14. p. 192, verum etiam ab Handio, gravissimo huius generis auctore, Tursell. IV. p. 293 probatum esset, a te tanquam res aperte falsa tacite est repudiata. Et quidem falsissimam esse non modo contortis istis ac nescio quam obscuris disputationibus vel eorum, quos dixi, vel ceterorum, qui illos secuti sunt, ut Kühneri Tusc. Disp. II, 5, 14. p. 186, efficitur, sed, quod multo maius est, re ipsa demonstratur. Ut enim largiar, quod illi voluerunt, *non modo* idem fere esse quod *non dicam (ich will nicht sagen, nicht etwa*, modo ne, *nicht eben*), hoc quidem apparet, removeri his particulis id, quod quis dicere vel dici exspectare possit eiusque loco aliud sive maius sive minus poni. Itaque hoc loco, de quo dicimus, si recte se haberet *quod non modo occultari — deberet*, id ipsum *occultari* negaretur quidem, sed ita negaretur, ut non ipsa res, sed verbum id est modus rei tolleretur. Quodcum maleficium tale sit, quod debeat *non occultari*, id autem *non occultari* eiusmodi, in quo per gravitatem rei acquiescere non liceat, dicendum erat necessario: *quod non modo non occultari, sed etiam aperiri — deberet.* Idque cadit in omnia exempla, quae vel dissentientibus fere libris MSS. defendit Handius l. l. p. 293, quibus addi possunt quae vel a Garatonio ad Or. p. Flacc. XLI. p. 252 ed. Neap. vel a Mich. Heusingero de Offic. I, 21, 4, vel ab Ernest. Clav. Cic. s. v. *modo* disputata sunt. Addo etiam hoc, in Accusat. I, 15, 39 cum olim nulla sententia scriberetur sic: *hoc vero occultum intestinum malum non modo non exsistit, verum etiam opprimit, antequam prospicere atque explorare possis*, deletam esse egregia Zumptii coniectura alteram negationem idque confirma-

tum auctoritate Asconii et Augustini (v. Madv. Opp. Acad. I. p. 326). Iam si utrumque liceret non ita magno sententiae discrimine et *non modo non exsistit* et *non modo exsistit* dicere, quo tandem iudicio ad id duci posse videmur, quod hoc loco res ipsa ac veritas flagitat, ut malum intelligamus exsistere, non latere id est non exsistere? Verum ab his exemplis longe diversum est illud genus, quod versatur in sententiis negantibus, quo quidem plerique in errorem inducti videntur — et inducti certe sunt Klotz. et Kühner. l. l. —, ut rem certis finibus circumscriptam latius patere ipsaque vi particularum *non modo* effici putarent, quod inest in vi sententiae negantis. Ad hoc autem genus non modo eae sententiae referendae sunt, quae recto genere negandi efferuntur, sed omnino omnes, quibus negatio involuta latet, interrogationibus, condicionibus, particula *quam* post comparativum; in quibus cum res universa negetur, ipsa negandi vis pertinet etiam ad partem, quae inest in particulis *non modo*; id modo discriminis interest, ut in sententiis oblique negantibus semper *non modo — sed* (*verum*) dicendum sit, in recte negantibus, si praecedat negatio, *non modo — sed ne — quidem* vel *sed ullus, unquam*, similia, sin sequatur, liceat etiam simpliciter *non modo — sed non, nemo, neque - neque*. Recte negantium exempla haec habeto: Acad. II, 19, 62 *quod non modo recte fieri, sed omnino fieri non potest*; ad Famil. XII, 29, 1. *Non modo tibi, cui nostra omnia notissima sunt, sed neminem in populo Romano arbitror esse, cui sit ignota ea familiaritas* etc.; p. Sull. IX, 26 *quid? si me non modo rerum gestarum vacatio, sed neque honoris neque aetatis excusatio vindicat a labore?* Nam ita scribendum esse omissa altera negatione, quam ex antiquioribus libris unus, ut videtur, cod. Pithoeanus tuetur, ceteri, si Grutero fides habenda est, ignorant (v. Garat. ad h. l.), tibi quoque persuasum fuisse inde coniicio, quod cum ipsis orationis verbis addidisses negationem, post in commentario p. 80 ea scripsisti, quae non possint nisi ad negationem omissam referri. Adde de Legg. III, 9, 21 *non modo ulla in domo, sed nulla in gente*, quo loco Bakius p. 614 contrarium exemplum affert ex Vatin. I, 3 *cum affirmares nullum tibi sermonem non modo de Sestio accusando, sed ulla unquam de re fuisse*, cui adiiciendum de correctione Madvigii Catil. II, 4, 8. *Nemo non modo Romae, sed ullo in angulo totius Italiae oppressus aere alieno fuit* etc. Cetera exempla, quae sunt ex eo genere, quod primum posuimus, cum sint frequentissima numero et satis ab omnibus cognita, nunc consulto praeterimus. Ex altero autem genere oblique negandi haec affero: de imp. Cn. Pomp. XXII, 66. *Quae civitas est in Asia, quae non modo imperatoris aut legati, sed unius tribuni militum animos — capere possit?* Divinat. in Caec. VIII, 27. *Qua in re non modo ceteris specimen aliquod dedisti, sed tute tui periculum fecisti?* de Nat. Deor. I, 72, 61. *Epicurus tuus — quid dicit, quod non modo philosophia dignum esset, sed mediocri prudentia?* Catil. I, 3, 7. *Num me fefellit non modo res tanta —, verum, id quod multo magis est admirandum, dies?* pro Sest. XX, 45 *iecissem ipse me potius in profundum, ut ceteros conserva-*

rem, quam illos mei tam cupidos non modo ad certam mortem, sed in magnum vitae discrimen adducerem. Quodsi altera in his sententia non ipsa negat, sed affirmat, addenda negatio necessario est dicendumque *non modo — sed non*, velut pro Sest. L, 108. *Quis non modo approbavit, sed non indignissimum facinus putavit —?* quod idem est, ac si dixeris: *nemo non modo approbavit, sed* (*etiam*) *indignissimum facinus putavit.* Tusc. Disp. II, 5, 14. *Quis est non modo recusandus, sed non ultro appetendus — dolor?* Haec igitur iis velim adiicias, quae sunt exposita a Madvigio Opp. Acad. I. p. 142 sqq. et Grammat. Latin. §. 471. ed. pr.

Lubrica quodammodo ac subdifficilis quaestio est, ad quam nunc accedimus, de loco et auctoritate librorum, quos in secundam familiam coniecit Orellius p. 285, codicem dico Henrici Stephani et Parcensem. Ac Stephani quidem excerpta, quae, antequam de Parcensi quidquam compertum esset, nulla fide digna videbantur: ita omnia alienae manus suspicionem faciebant; ea igitur quum in plerisque cum illius scripturis consentiant, pauca sola praebeant et ea valde de interpolatione suspecta, iure meo ab hac disputatione sevocare et ad unum Parcensem totum me conferre diligentius examinandum videor. De quo quod Orellius fecit iudicium „in eo permulta egregia nobis servata esse, sed parem prope inveniri numerum interpolationum et eius quidem generis, ut ab grammatico aliquo Gallicano seculi p. Chr. n. quinti vel sexti profectae viderentur, qui animi causa suas ineptias Tullio obtruderet, fato tamen quodam coactus, ut, quia casu nactus esset praestantissimum exemplum, multa longe integriora nobis servaret quam non modo vulgares libri, sed etiam Erfurtensis, quatenus hic quidem nobis innotuerit", id ita omnino recte se habere existimandum est, ut tamen certiorem normam, ad quam singulorum iudicium dirigamus, nullam afferat: ut mirum non videatur, si quis omissa quam accuratissima omnium ac vel minimarum rerum comparatione, ubi ad singula pervenerit, aut fluctuet sententia aut consilio labatur: id quod et Orellio et tibi saepius accidisse iis, quae iam proferam, planius me facturum confido.

Ac primum praestantissimum illud exemplum, quod casu nactus fertur librarius Parcensis, non ita praestans fuisse, ut ad Erfurtensis et Palatini noni laudem adspiraret, manifestum est: nam mirum profecto esset, si is omnia, quibus ex illis libris solis Ciceronis orationem suppletam esse supra demonstravimus, ea aut negligentia non vidisset aut consilio omisisset. Duobus dumtaxat locis pleniora habet vulgaribus libris, quae cum Erfurtensi et Palatino IX. quodammodo conveniant, quorum tamen alterum §. 28 suo more immutatum et in peius detortum dedit: *et qua urbe versor intelligo* pro eo, quod illi cum scholiasta Ambrosiano exhibent: *in qua urbe verser intelligo*: libri enim vulgares v. *verser* omittunt; alterum §. 45 ita cum Erfurt. in supplemento (*ac perfregerim*) consentit, ut idem in communi verbo *praeverterim* discedat; praebet enim id, quod ex suis codd. facili coniectura emendatum protulerat Rubenius: *perculerim ac perfregerim.* Sed tamen his ipsis certe efficitur,

ut illud exemplum paulo integritate libros, qui vocantur, vulgares superaverit. At idem eos eadem in re plurimis locis, superat. Quorum partim ita comparati sunt, ut interpolationem illi ipsi optimi libri certissime coarguant: quo pertinet primum §. 2 *sed ut ille, iudices, — deminuturum speravit* pro eo, quod testimonio Wunderi ad Planc. p. 170 in Palat. IX. exstat: *sed ut ille vidit — deminuturum* (*iudices* autem et *vidit* facillime confundi potuerunt compendio scripturae hoc: *iud*, quo in hac oratione Erfurtensem saepius usum commemorat Wunder. Var. Lectt. p. 94); deinde §. 89 *disciplinarum et scholae*, quod ei commune est cum cod. H. Stephani, pro scriptura Erfurtensis *campi et disciplinarum*: in ceteris libris una vox *disciplinarum* relicta est; tum §. 20, quae ex Erf. et Palat. IX. addita sunt vv. *pro huius periculis lacrimantes adspicere*, ita interpolator ille Parcensis vel arbitrio suo correxit vel, si forte non aderant idque punctis fuit indicatum, suopte ingenio confinxit, ut scriberet *pro huius salute orantes* omisso contra legem ac consuetudinem disiunctionis (v. ad Heren. IV, 27, 37) verbo *adspicere* vel consimili aliquo. Alii loci et ii plurimi numero ita se ipsi convincunt operae vel dolose vel perverse collocatae, ut in summa saepe specie neutri tamen vestrum fraudi essent: quo ex genere haec sunt: §. 26 *sibi haberent alii* (cod. H. Steph. *sibi alii haberent*): ceteris omnibus v. *alii* abest; §. 32 in vv. *clarissimum virum generis vestri ac nominis* post *nominis* addit *auctorem*; §. 49 non percepta neque sententiae neque geminationis ratione ante vv. *tum qui contra vos pro huius salute pugnabant* addit *cum ceteri*; simile est, quod §. 66 perverso sententiarum, quae quidem uno orbe includi non posse viderentur, ordine ac consecutione post vv. *ne quid per vim ageretur* infersit *egit* satis facetum illud quidem ac concinnum (ne quid ageretur egit), sed tamen contra usum sermonis Latini; longius etiam processit eius temeritas §. 79, ubi mutata universa verborum conformatione pro infinitivis (*non*) *ponderari*, (*sed*) *esse testem* aptis ex verbo *interest* substituit: (*ne*) — *ponderetis*, (*sed*) — *testem ei esse sinatis*; praeclaram si diis placet operam praestitit §. 93, quod cum in aliis libris (*misericordia*) *nostra*, in aliis *vestra* invenisset, disiunctum utrumque quasi divina quadam virgula in unum coegit scripsitque: *et mea et vestra*, quod ne maxima quidem acclamatione Torrentii moveri potuit Orellius ut suspicione liberaret; §. 78 in vv. *Nihil erroris erit in causa nec obscuritatis, iudices, si a vobis vitae perpetuae vox, ea quae gravissima debet esse, audietur* unus Parcensis post *gravissima* addit *et verissima*, quod si adiecisset Cicero, eodem revolvi eius demonstratio iure argueretur; soloecismus ést §. 76 *ulla gens, in qua non modo tot, sed nec unus tam crudelis hostis patriae sit inventus* pro vulgato *non modo tot, sed unus*; denique quod §. 71 ille praebet *sua natura ac vita*, ne aequat quidem vi ac virtute sua aliorum interpolationem *sua consuetudo et vita*. Restant ex hoc genere quinque loci, quorum tres contra ac debebant a te et Orellio pro veris habiti, unus iniuria neglectus, quintus denique eiusmodi est, ut, inde liceat de alius scripturae veritate coniecturam facere. Ac de hoc quidem, si placet, primum

videamus. XIV, 42 vulgo edebatur: *At quos viros! non solum summa virtute et fide, cuius generis in senatu facultas maxima, sed etiam quos sciebam memoria, scientia — facillime quae dicerentur persequi posse*; Orellius spreta Lambini, quam ante probaverat, manu (*cuius generis est in senatu facultas maxima*) cum scriptum in Genevensi invenisset *cuius generis in senatu facultas maxima est*, hoc, quia, ut ait, *st* ante *set* facillime intercidere poterat, et ipse adsciscere non dubitavit et tibi ut idem faceres auctor exstitit. Nollem factum: esse hoc alienae manus additamentum cum per se probabile est in summo ceterorum librorum silentio, tum multo etiam probabilius reddit singularis scriptura Parcensis haec: *facultas maxima erat*: quam quidem quicunque ementitus est, videlicet plus sapere sibi videbatur, si huius quoque sententiae rationem ad idem tempus, quo cetera, accommodasset. Sed erat id ipsum stultissimum: nam virtutis ac fidei laus illis quidem temporibus communis senatorum ac vulgaris fuisse putanda est, ut non sine magna offensione animorum id dicturus fuerit Cicero, quod num etiamtum ita esset, posset videri in dubium vocare. Neque vero in hac conformatione sententiae quidquam ad integritatem requiritur: tanta attributi *maxima* vis esse intelligitur, ut copulae, quam dicunt, adminiculo facile careat. Licet cum hoc loco comparare, quae in simili corruptionis genere commentatus est Wunderus de Planc. XVIII, 44. p. XLVIII. verbis his: *Neque ego nunc consilium reprehendo tuum, quod eas tribus, quibus hic maxime notus, non edideris*: quae si cui non satisfaciant, certiora in promptu erunt haec Orat. XII, 39 *quorum satis arguta multa*; de Fin. V, 3, 7 *quorum princeps Aristoteles*; de Orat. I, 51, 222 *ut quibusdam visum*, quod ita modo recte intellexeris, si intenta voce extuleris *quibusdam*; Brut. LXXXIII, 286 *quorum Charisius multarum orationum*, alia, in quibus omnibus cum esset aliquid graviter pronunciatum, quo per se ipsum magis emineret, recte verbum omitti potuit, non potuit in illis, a quibus talis causa abhorreret, quo in genere erravit, ut unum ex multis nominem, Heusingerus de Offic. I, 25, 2 *procuratio rei publicae ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est*; et II, 19, 14 *ceterisque operis et officiis erit id, quod violatum est, compensandum*. Eandemque rationem ad sententias quoque condicionales pertinere videre licet ex Lael. IV, 14 *sin autem illa veriora*; Phil. VIII, 3, 9. *Atque etiam homines agrestes, si homines illi ac non pecudes potius, inani spe — proveluntur*, si modo haec recte se habent, quae in optimo libro corrupta esse dicuntur. Apparet ergo neque recte negasse Madvigium de Fin. I, 13, 43 p. 91, in relativis sententiis illam vocem ullo modo omitti posse, et me ipsum in errore fuisse, qui Palaest. Cic. p. 18 ed. alt. his eam rem finibus circumscripserim, ut ad ipsum concisum genus praecipiendi revocarem. Postremo ut id commemorem, quo hominis industria atque ingenium paulo etiam magis perspiciatur, ut hoc loco addendum censuit verbum falsumque addidit, ita rectum delevit §. 60 *deinde ita a patronis res cognita est*, quippe quo carere sibi videretur in sententia, quae adiuncta esset alteri huic: *primum omnis*

Pompeianorum colonorumque dissensio delata ad patronos est etc. — Dicendum deinceps est de tribus locis, quos ante significavi a te et ab Orellio non recte ex Parcensi esse suppletos, quorum unum tibi profecto miror non statim recentissimae coniecturae suspicionem movisse, cui notam fuisse doctissimam de hac re Madvigii disputationem ex commentario Sestianae p. 130 intelligam: Orellium quidem sciebam in hoc erroris genere paene delectari aut cum Lambino ceterisque illius aetatis editoribus, ut ita dicam, decertare. Itaque primus Lambinus, qui aliis Ciceronis locis idem ipse opis tulisset, in hac oratione §. 75 suppeditatam a cod. H. Stephani scripturam, post a Parcensi confirmatam, non dubitanter recepit hanc: *Non cadit, non, inquam, cadit in hos mores, non in hunc pudorem — ista suspicio*, cum ceteri libri omnes prima vv. *non cadit* omittant. Profecto si non haec est interpolatio, nulla est. An putas istam duplicationem ad ullum locum minus convenire, quam ad hunc, ubi exposita P. Sulla explicataque omni vita eo consilio, ut ab illa accusatoris crimen abesse demonstraret, colligit denique quidquid dixit Cicero et ad unam iudicii summam refert? Certe non putas et istum Gallicanum cum sua sapientia valere iubes. Similia menda post illam Madvigii admonitionem Opp. Acad. Pr. pp. 157 et 453 a multis nuper optimorum librorum auctoritate sublata sunt, velut a Klotzio et Tregdero Tusc. Disp. V, 28, 80. — De altero loco Sullanae §. 79 rem magis in sensu cuiusque, quam in certa ratione positam intelligo, ut si tibi meam sententiam minus probaverim, id tamen te mihi concessurum sperem, coniecturam nos quamvis bonam, sed tamen coniecturam impugnasse illius, qui iterum et saepius nominandus est, hominis Gallicani. Verba haec sunt et, ut mihi videtur, in hunc modum interpungenda: *Quam (vitam uniuscuiusque) vos, iudices, nolite armis spoliatam atque nudatam obiicere invidiae, dedere suspicioni: munite communem arcem bonorum, obstruite perfugia improborum: valeat ad poenam et ad salutem plurimum, quam solam videtis ipsam ex vi sua naturaque facillime perspici, subito flecti fingique non posse.* Semper mihi dignissimum interpretis ingenio visum est, quod hoc loco post vv. *ad salutem* inculcatum in Parcensi est *vita*; hoc enim cum et in extrema sententia antecedenti ita esset collocatum, ut sponte sua auditorum mentibus infixum haereret, et initio insequentis renovatum memoria pronomine relativo, nihil sane erat verendum ne id subito excideret animis, quod ea interposita essent, quae novum nomen, non novam rem (*communem arcem*) inferrent. Quanquam non infitior, si quidquam addendum sit, esse optime additum illud *vita*, quod et suo loco positum esse et post v. *salutē* facile potuisse oblitterari appareat. Quo igitur minus in hac re quidquam certi affirmare audeo, eo confidentius dicam speroque tibi me persuasurum de tertio loco §. 63, quem totum transcribam, ut a te est ex cod. H. Stephani et Parcensi editus: *Atque in ea re per L. Caecilium Sulla accusatur, in qua re est uterque laudandus: primum Caecilius, qui id promulgarit, in quo fratris casum levare posset, quem quia res iudicatas videbatur voluisse rescindere, ut desisteret, Sulla recte*

reprehendit: status enim rei publicae maxime iudicatis rebus continetur. Neque ego tantum fraterno amori dandum arbitror, ut quisquam de salute suorum consulat, communem relinquat. Nihil de iudicio ferebat, sed poenam ambitus auferebat, quae fuerat nuper superioribus legibus constituta. Itaque hac rogatione non iudicum sententiam, sed legis vitium corrigebat. Ita illi aucta et emendata dederunt, quae in ceteris libris mutila, ut videntur, et nulla sententia habentur sic: *primum Caecilius, qui id promulgarit, in quo res iudicatas videbatur voluisse rescindere, ut statueretur, Sulla recte reprehendit*; praeterea discrepantiae scripturae ex iisdem hae notatae: *Caecilium* Oxon. C. Palat. VII; *promulgaret* Oxon. H. ψ. Salisburg. Elector., *promulgare* Oxonn. quinque; *ut tueretur* in scripto libro se invenisse testatur F. Ursinus, unde Lallem. coniecit *ut fratrem tueretur*, Garaton. *ut re tueretur*, Nauger. edidit *ut restituerent*; denique, ut hanc quoque mentionem statim cum librorum memoria coniungam, ante vv. *Nihil de iudicio ferebat*, quo sententiae inter se aptius cohaererent, *at* addi voluit Orellius. Quid igitur? plurisne faciendam existimas istius, quem iam dudum tracto, Gallicani manum, quam scimus etiam maiora molitam tum amplificando, ut §. 20, tum resecando, ut §. 34, ubi cum repetitum non ferret *auctoris* nomen, verba suo arbitrio transposuit sententiamque contraxit: hanc, inquam, pluris facies, quam vel Lambini vel Ferratii vel nescio cuius coniecturam? Nam ne Lambino quidem fidem hoc loco habendam, qui dicat se quod fecerit partim coniectura ductum, partim ab antiquis libris adiutum fecisse, librosque illos, Memmianos credo, ut saepe, meram coniecturam esse, iam pridem et vidit et rem improbitatis nomine notavit Gruterus. At, inquis, omnibus coniecturis, quotquot propositae sunt a veteribus interpretibus, multo praestat verborum et concinnitate et elegantia Parcensis. Quid tum? nempe ille Lambino et eius similibus plus vel sapuit vel vidit nec vero tantum, ut plane quid Ciceronis ingenio dignum esset assecutus sit. Mihi enim scriptura eius duplici maxime vitio laborare videtur: nam nec laudandus est simpliciter Caecilius, quod id promulgarit, in quo fratris casum levare posset, quod si contra rem publicam et salutem communem fecisset, vel maxime esset reprehendendus; omnium vero minime concoquo vv. *ut desisteret*, quae credo nec sic nuda posuisse Ciceronem et, si posuisset, fuisse alio loco positurum, ne cum media enunciatione: *quia res iudicatas videbatur voluisse rescindere* vi sua coniuncta esse viderentur. Quod cum ita sit, cum ne recentiores quidem quidquam attulerint quod mediocrem laudem probabilitatis haberet, nihil equidem omissum arbitratus duce scripturae, quam supra memoravi, discrepantia eo sententiae perveni, ut locum aut nullo aut hoc modo restitui posse intelligerem: *primum Caecilium, qui id promulgarat, in quo res iudicatas videbatur voluisse rescindere, ut fratrem tueretur, Sulla recte reprehendit: status enim rei publicae maxime iudicatis rebus continetur. Neque ego tantum fraterno amori dandum arbitror, ut quisquam — relinquat. At nihil de iudicio ferebat* etqs. In his igitur, ut singularum emendationum rationes reddam, pri-

mum, ne quid vehementius a me novatum existimes, *fratrem tueretur* hoc compendio scriptum: *fratr̄tueretur* proclivi errore in unum *statueretur* confundi potuisse concedes; deinde *promulgarat* scripsi, quo ducit librorum memoria *promulgaret*, quod, si aptum esset ex mente reprehendentis Sullae, ut voluit ille, quem merito infelicem dicis p. 47, debebat sic dictum: *qui id promulgasset, in quo videretur* etqs.; denique *at* adscivi ex coniectura Orellii, quod ita necessarium duco, ut id ad intelligendam totius loci rationem conferre plurimum existimem. Etenim Cicero cum ita laudare fratres instituisset, ut primum quid in Sulla probandum esset explicaret, non potuit illud silentio praeterire, quod et ipsum Sullam ab integritate et continentia maxime commendaret et simul ex parte pertineret ad laudem fratris, dico verba: *ut fratrem tueretur*; qui cum Sullae consilium paulo longiore approbatione proscecutus esset, qua fratri videretur conatus sui temeritatem exprobrare, tum vero id opposuit, quod vitium eius, quod videbatur, in virtutem converteret laudemque pietatis per se ambiguam ac nullam vera laude modestiae cumularet atque exornaret. Iacet igitur meo quidem iudicio Ferratius, qui his vv. *At nihil ferebat* etqs. non laudem, sed excusationem Caecilii contineri putat, quae sententia vel eo refutatur, quod in hac re amplificanda plus etiam temporis et operae consumptum est, quam in laudando Sulla. Denique, ut nihil scrupuli relinquatur, si quis forte pronomen desideret *at nihil ferebat (ille)*, id, cum Caecilii cogitationem tanquam subiecti, quod dicunt, animo conceptam haberet, qui dixisset antea: *neque ego tantum fraterno amori dandum arbitror*, nullo sententiae damno omisisse Cicero existimandus erit. — Nunc ad ultimum huius generis locum transeamus, quem dixi a te et Orellio iniuria neglectum. Quod enim ab uno Parcensi proditum est §. 71 adiecta praepositione, quam ceteri omittunt, sic: *intelligetis unumquemque illorum prius a sua vita quam a nostra suspicione esse damnatum*, id ita mihi a Ciceronis consuetudine postulari videtur, ut hominem illum, sive sua manu correxit, sive scriptum invenit, non prorsus contemnendum esse demonstrare possit. Ac primum illud non obscurum est, quomodo interire atque deleri potuerit praepositio praegresso *quā*, praesertim cum veteres editores in hac re vel observanda vel notanda non ita diligentes fuisse constet. Quodsi quis defendere velit vulgatam memoriam, non quo se multum tribuere neget Wunderi decreto Var. Lectt. p. XVII. — verba sunt Ellendtii de Orat. I. p. 24 —, sed quod ablativi *nostra suspicione* diversam esse rationem contendat, tanquam suspicio ipsa damnet nulla re interposita, vita non item; is non intellexerit claudicare misere comparationem, nisi utrumque nomen et *vita* et *suspicio* ad eandem rationem conformationemque sententiae revocetur, ut non recte explicasse censendus sis meo ipsius testimonio adhibito: *vitae ratione habita*; imo et *vita* et *suspicio* tanquam damnantium personae inducuntur, qua una ratione fit, ut sua orationi et concinnitatis et acuminis laus constare possit. Quam quidem concinnitatem verborum tam studiose consectatum esse Ciceronem, ut saepe recedere a vulgari more loquendi, quam illam

relinquere mallet, non est quod tibi dicam, qui ipse de hac re exposueris Sull. V, 14. p. 66. XXXIII, 92. p. 165; adde, si placet, ea, quae scripsi Pal. Cic. p. 41 ed. alt.; cum hoc autem loco, quem nunc tractamus, commodissime contenderis de Orat. II, 29, 126 *ut ei nihil neque a natura denegatum neque a doctrina non delatum esse videatur.* Itaque, quantum in me est, non committam posthac, ut ex hoc loco quidquam praesidii petatur ad impugnandum egregium illud praeceptum, cuius in dies magis elucet veritas optimi cuiusque libri auctoritate confirmata. Nam, ut hoc afferam, in libris ad Herennium, cum olim quinque loci exstarent hoc modo depravati (II, 6, 9. III, 4, 7 bis; 13, 25. IV, 13, 19), nunc plerique emendati leguntur coniunctis Orellii et Baiteri operis, duos relictos esse doleo, quorum alter III, 4, 7 iam pridem a Gronovio erat egregie restitutus, in altero, qui est eadem sectione paulo infra, hoc: *Exordiri licebit vel a principio vel ab insinuatione vel iisdem rationibus, quibus in iudiciali causa* haud scio an tertium *vel*, quod omnes libri tueantur, ita possit recte defendi, ut adverbii loco positum esse censeamus ea vi, qua dicitur *vel maxime, vel imprimis*, similia. Quae nuper ex Cicerone protulit exempla Nipperdeius ad Caesar. p. 57 ex Orat. pro Flacco VII, 17 *non solum in Graecia, sed prope cunctis gentibus* et pro Sulla XX, 56 *non modo ob causam, sed etiam necessariam causam*, eorum in priore ad *cunctis gentibus* illud transferam, quod in *tota terra* usu venit; in posteriore non dubito reponere *sed etiam ob necessariam causam:* praepositio enim facili errore omitti potuit propter *ob* et *et* particularum similitudinem; et addita est in Oxon. H. Sed Nipperdeius, si codicum in hac re auctoritatem mordicus tenere voluit, poterat etiam alia nominare, ut de Fin. IV, 9, 22 *si neque virtus in ullo nisi sapiente nec felicitas vere dici potest*; Verr. IV, 27, 60. *Venio nunc non iam ad furtum, non ad avaritiam, non ad cupiditatem, sed eiusmodi facinus*, quorum in altero quidem assentientem haberet Zumptium. Denique non est, quod peritis dicam, in hoc genere non esse referenda eiusmodi exempla, qualia sunt de Offic. II, 6, 19 *vel secundas ad res vel adversas*; pro Sest. LX, 128 *cuius unquam propter salutem nisi meam gratias egit?* — Summa disputationis huius, quae in recensendis aestimandisque versata est libri Parcensis additamentis, huc redit, ut ex multis locis, quibus eum integriorem cognovimus vulgaribus codicibus, duo relinquantur, qui non videantur ad interpretis vel correctionem vel coniecturam revocari posse; ex coniecturis autem item duae sint, altera non pessima, altera bona. Age vero in omittendis vocabulis qualis sit illius praestantia consideremus.

Qua in re multum profecto nos adiuvaret unius boni libri accurate facta collatio: qua cum destituti simus, facere non possumus, quin fere a silentio editorum, quibus eiusmodi libros inspicere licuit, testimonium sumamus. Accedit, quod in ea parte orationis, quae est in cod. Erfurtensi integra servata, Parcensem illum non plane dissimilem sui, quod quidem ad hoc genus attinet omittendorum verborum, deprehendimus. Itaque eum ut paucis describam, qualis sit, in hac re videmus vel cum

vulgaribus libris consentire vel multo saepius suo sibi iudicio uti eoque tali, quod hominem non imperitissimum illum quidem, sed tamen ingenio et correctoris munere intemperanter abutentem vel maxime deceat. Neque id a vobis, te dico et Orellium, ignoratum est in plerisque, quae placet brevi in conspectu ponere, quo id, quod diximus, planius intelligatur: §. 1 omittit *in ceteris malis*, fortasse, ut ait Orellius, quia sufficere ei videbatur *magnam animo molestiam capio*; §. 3 praebet *clarissimi atque ornatissimi viri* pro eo, quod vel maxime esse e consuetudine Ciceronis idem monuit, *clarissimi viri atque ornatissimi civis*; §. 6 cum scriptum invenisset *defendendos esse non putant*, non alteram negationem, quod alii fecerunt, ante *defendendos* adiecit, sed omnino delevit, cuius illud simile ex contrario, quod §. 14 *afuerim* mutavit in *non adfuerim*; §. 8 post *istam* omittit *ipsam*, quod contra §. 32 verbis *et se* pronomen *ipsum* temere adiicit; §. 16 delet, quae nimirum non necessaria videbantur, vv. *inter se*, itemque §. 17 *ita* ante *quievit, ut*, §. 20 *huius* ante *M. Messallae*, videlicet ne bis brevissimo intervallo idem verbum iteraretur; §. 21 scribit *sperat se absolutum* omisso *iri*, quocum compares §. 65 *intercessorem se professus* pro eo, quod alii habent vel *se fore* vel *fore professus*; §. 22 satis videbatur *Q. Hortensium tanta gravitate* abiecto v. *hominem*; §. 31 verbum vere Ciceronianum omittit *videri*, quocum conferrem §. 36 *suspicarentur*, nisi in hoc cum ceteris libris praeter Erfurtensem consentire videretur; §. 35 in accusativo c. infinitivo delet *esse*, quod idem addit §. 1 verbis *facile patior oblatum mihi tempus*; §. 44 cur simplicem *senatum*, quam *frequentem* maluerit, non liquet; §. 45 non satis concinnum videtur putasse *et* ante *crudeles insidias*; §. 49 *et* initio sententiae delet, quod idem addiderat cum cod. H. Stephani §. 27, quo loco temeritatem eius coarguit Orellius; dissoluta maluit §. 83 *laboribus, periculis*, sicut §. 91 *ex laetitia, ex voluptate*; §. 53 in interrogatione omittit *num*; de §. 60, qua in adiuncta sententia *est* iteratum non tulit, supra diximus; similiter §. 63 in verbis *in ea re — in qua re* alterum *re* resecuit; §. 69 cum ipse quoque, quod in ceteris libris praeter Erfurt. est, vel *animis* vel *animus* scriptum invenisset, hoc, quod explicatum non haberet, haud cunctanter omisit salva quodammodo sententiae integritate, quam tamen perfectam unus praestat Erfurt.; §. 72 in vv. *neque enim ipsi* particulam causae delet, quam ultro addit §. 73 verbo *honestatis*; §. 78 num consulto omiserit, id quod Orellio non displicet, *accusator*, dubitare licet propter vicinitatem similiter exeuntis verbi *minitatur*: certe carere eo vix possumus in tanta ambiguitate subiecti, quod si abesset, secundum ea, quae antecedunt, *vitam* esse, non *accusatorem*, unusquisque putaret; eadem sectione ante pronom. relativ. *quae* omittit *ea*; §. 79 *summa elegantia* scribit pro *cum summa eleg.* Haec igitur omnia eiusmodi sunt, ut ad libidinem quandam et ingenii ostentationem potius quam ad necessitatem ullam aut testimonii veritatem referri debeant. Quo magis admiratus sum singulare iudicium Orellii — te enim hac in re socium non habuit —, qui tantum tribuerit illius libri auctoritati, ut IX, 28 in vv. *Horum ego faces eripere de mani-*

bus et gladios extorquere potui, sicut feci, voluntates vero consceleratas ac nefarias nec sanare potui nec tollere omittendam putaret adversandi particulam molestam nimirum, ut ait, vel ob id ipsum, quod in proximo superiore enunciato praecessissent vv. *nisi vero paucos fuisse arbitramini, qui conari aut sperare possent se tantum imperium delere posse.* Atqui idem ille interpolator, quasi ludere ingenio, non dolo malo fallere vellet, non solum illud *vero* omisit, sed etiam hoc *nisi vero* in *nisi forte* mutavit. Quid? quod libidinis suae ipse apertissimus testis est, qui eandem particulam temere modo omittat, modo adiiciat, ut §. 1 *in quo boni viri — agnoscerent, improbi ac perditi cives — faterentur.* Nec maior eius auctoritas est in praenominibus omittendis, ut nollem de ea re dubitatum ab Orellio §. 30, in qua praesertim causa errandi promptissima esset, quippe cum eiusdem viri nomen proxime antecessisset; verba haec sunt: *Qui cum suppressa voce de scelere P. Lentuli, de audacia coniuratorum omnium dixisset, tantummodo ut vos, qui ea probatis, exaudire possetis, de supplicio P. Lentuli, de carcere magna et queribunda voce dicebat.* Quanquam quis non videt acerbitatem huius appellationis ita comparatam, ut iteratum praenomen vel maxime notare hominem existimandum sit: hanc enim esse praenominis vim in utramque partem rectissime contra Zumptium defendit Madvig. Opp. Acad. Pr. p. 362. Debebas igitur et hoc admonere Orellium et simul illud commemorare, Parcensi in hac re nihil tribuendum, qui idem illud omitteret saepius, ut §. 6 ante *Hortensius*, iterum eadem sectione ante *Cornelium* et in hoc quidem cum Bern. Salisb. Elector., denique §. 23 ante *Curio*, cuius in locum substituit *Curioni*. Cetera, in quibus Parcensem cum vulgaribus libris consentire diximus, haec sunt: §. 56 praepositionem iteratam *ante* omittit cum Bern., tribus tuis, quattuor Oxonn., itemque *in* ante vv. *omni honore* §. 61 — si modo recte tacuit Torrentius — cum Salisb. et tribus Oxonn., cum ipse solus praebeat §. 91 *ad luctum et ad lacrimas*, quod nimirum correxit, quo melius conveniret cum dissoluto, quod finxit, *ex laetitia, ex voluptate*; §. 87 *esse* delet ante *visus sum* cum 1 Oxon. et Elector., §. 88 *nunc* cum 3 Oxonn. et eodem Elector. Multo his digniores memoratu tres loci iique partim tales, in quibus vel maxime desideremus accuratum optimorum librorum testimonium. Nam de Erfurtensi quidem non dubito, quin unus antiquissimam repraesentet scriptoris manum XXXI, 86 hanc: *Quamobrem vos, dii patrii ac penates, qui huic urbi atque huic rei publicae praesidetis, qui hoc imperium, qui hanc libertatem, qui populum Romanum, qui haec tecta atque templa — servastis, testor* etqs.; hoc enim et coacervationis ratio paene flagitat et ipsos homines recte opponit tum imperio eiusque formae tum urbis tectis atque templis, quod si abesset, aliquid et id non levissimum ad integritatem sententiae requireretur; *libertas* autem cum per se saepe significet statum liberae rei publicae (v. Schütz. Clav. s. v.), tum in hac verborum complexione ne potest quidem aliter intelligi. Ac ne illud quidem recte obieceris, non sine concinnitatis damno abesse pronomen *hunc*, quod ut omitti posset, fecit appositum *Roma-*

num. Quam tu et Orellius recepistis scripturam libri Parcensis, qui in hac re convenit cum tuo Salisburg., *hanc libertatem populi Romani*, ea mihi non minus quam vulgata *hanc libertatem populumque Romanum*, vel ab errore scribendi vel a coniiciendi studio repetenda videtur. Etenim fac fuisse initio hoc compendio scriptum *p. R.* (v. Wund. V. Lectt. p. XIII): intelliges *q'* id est *qui* facile potuisse praetermitti ante *p.* (v. Wesenb. Observ. Critt. in Orat. pro Sestio p. 49), unde vel genitivus exsisteret simpliciter, vel accusativus addito *que*. Neque aliter iudicandum existimo de XV, 44 verbis his: *Tu, cum tua vox nunquam sit audita, cum indicio lecto, descripto, divolgato quieveris, tacueris, repente tantam rem ementiare et in eum locum te deducas, ut ante quam me commutati iudicii coargueris, te summae negligentiae tuo indicio convictum esse fateare?* ita enim primum Orellius, cum in libris quibusdam deterioribus v. *audeas* omissum, in uno Genevensi alio positum loco invenisset, ex libro Parcensi edidit pro vetere ac vulgata scriptura: *tantam rem enuntiare audeas.* Quo igitur casu factum arbitramur, ut a veteribus editoribus, quibus quidem liceret bonos libros oculis usurpare, nihil de omisso verbo memoriae proderetur? Quid porro non impellit ac cogit quasi, ut scriptorem illum Parcensem id ipsum verbum in suo videlicet non optimo exemplari omissum vidisse et damnum eo modo, qui se suamque artem scilicet non dedeceret, resarsisse putemus? Atque ut hoc ita esse credamus aliis et gravissimis causis adducimur. Primum sententiae ratio melius procedit, si is, qui ad tempus quieverit et tacuerit, subito non ementiri aliquid, sed enuntiare, quale id cunque sit, sive verum, sive falsum, proponitur, ut hac ipsa in re satis praesidii inesse censeamus ad illud Orellii refutandum, qui negat enuntiandi verbum in rem cadere, quae ut manifesta atque omnibus nota in medium proferatur, sed in arcana consilia: in qua sententia ne id quidem verum est, quod vult illam rem omnibus notam: quasi hoc scilicet curet mendacii architectus. Accedit, quod si ista via processisset Ciceronis argumentatio, verendum illi erat, ne rueret in dicendo ac praecipitaret, quem vides causam suam ita prudenter ac moderate agere, non ut in mendacium hominis tanquam certum et ab ipso concessum invehatur, sed ut indicium eius in mendacio positum rebus ipsis demonstret. Quod si concedis, huc omnem spectare Ciceronis orationem, ut mendacii coarguat Torquati indicium, non potest profecto hic ementitus dici, quo se summae negligentiae convinceret, sed hoc ipso demum negligentiae crimine effici, ut mendax sit non sine audacia. Itaque *ementiare* si dixisset Cicero, pro certo sumpsisset id, quod ita esse re ipsa erat probandum. Ac ne extremo quidem loco XXV, 70. *Cuius aures unquam hoc respuerunt conatum esse hominem usque a pueritia non solum intemperantia et scelere, sed etiam consuetudine et studio in omni flagitio, stupro, caede versatum?* quo loco Parcensis testimonium in omisso v. *usque* non modo a vulgaribus libris Bern. Salisb. Elect., sed ab ipso etiam Pithoeano quodammodo confirmari videmus, tamen ne hac quidem in re assentiendum tibi puto, qui intelligam causas, cur id deleretur, probabiles plures af-

ferri posse, cur vero adderetur, vix ullam. Atque in omittendis quidem vocabulis vidimus Parcensem semel cum meliore libro, sed eodem loco cum vulgaribus idque non recte consentire; cetera vel ex libris deterioribus ducta vel longe plurima numero ingenio conficta esse. Iam in ordine verborum qualem se praestet videamus.

Atque ut de extrema orationis parte prius dicamus comparemusque illum, ut par est, cum optimo libro Erfurtensi, quinquies, si modo recte numeravi, ab unis duobus libris verum verborum ordinem servatum vidi: §. 89 *hac vita*; §. 90 *huius miseriis esse* et *contentos vos*; §. 91 *fama, honore*; §. 92 *sunt iam*: perraro iidem cum aliis in recto consentiunt, ut §. 89 in vv. *vos, iudices*, cum Bern. et edit. Bonon. Sed idem ille codex, quem modo parem optimo cognovimus, ita in hac ipsa parte ab eo discedit, ut multo saepius vel ad deteriores accedat vel propria habeat et talia, quae ex quo quasi fonte repetenda sint minime lateat. Quodcum idem in priore parte fieri videamus, ut quae ex illo descriptae sint collocationes verborum, raro aliorum auctoritate et eorum vulgarium muniantur, saepissime sua stent, hae ipsae, quas dixi esse eius proprias, quales sint, ne quid inconsultius agere videar, explicandum arbitror. Ac primum si quae reprehendi posse viderentur hysterologiae nomine, eorum fere ordinem immutatum inveni, ut §. 1 *misericordem ac mitem* pro *mitem ac miser.*, quocum conferri potest §. 8 *lenitatem et misericordiam* pro *misericordiam lenitatemque*; §. 34 *auctoritate, consilio* pro *consilio, auctoritate*; §. 74 *afflictum demissumque* pro *demissum afflictumque*; §. 83 *consilio et virtute* pro *virt. et cons.*; §. 90 *dolore et cruciatu* pro *cruc. ac dolore*. Deinde quae disiuncta erant interpositis vocabulis, quorum fere singularis vis sententiaeque virtus esset, ad communem legem collocationis revocando pervertit, ut §. 2 *quo quidem genere orationis non uterer* scripsit pro *genere non uterer orationis*, cuius non dissimilia sunt §. 11 *expertem temporum illorum* pro *illorum expert. temp.* et §. 69 *de me ipso qui accusatus eram aliquid dicere* pro *de me aliquid ipso, qui accus. eram, dicere*; dochmii numerum, de quo exposui ad Lael. I, 3. p. 18, sustulit §. 59 *Sitius nunquam sibi cognationem cum praediis esse existimavit suis*; copulam, quam vocant, elegantius positam non agnovit in his: §. 2 *et data facultas est et saepe dabitur*; §. 4 *si patefacta per me est*; §. 42 scripsit *aut fidem aut ingenium putet defuisse* pro eo, quod multo est numerosius, *aut fidem putet aut ingenium defuisse*. Alia vero ita comparata sunt, ut quandam ipse collocandi elegantiam secutus scriptoris verba videatur voluisse in quadrum redigere ac conformare, quo pertinent §. 55 *res gesta est tota* pro *tota res gesta est*; §. 60 *quis hoc dixit unquam?* pro *quis hoc unquam dixit?*; §. 23 *quae non ad maximam civium partem conveniret* pro *quae non ad max. part. civium conveniret*, quo uno modo fit, ut quae debet esse vis verbi *civium*, ea plane perspiciatur; oppositorum rationem magis illustrare sibi visus est §. 9 hoc ordine: *tempus agendi mihi fuit magis proprium quam ceteris* pro vulgato: *fuit magis mihi proprium quam ceteris*; repetitioni nimirum afflictae medendum putavit §. 45, ubi, cum

duo priora enunciata ducta essent a pronomine (*mihi — per me*) tertiumque ita incepisset: *quemquam denique ego iuvarem* etqs., hoc Parcensis ita mutavit, ut scriberet *ego denique*; §. 92 traiectionis ornamentum scite illigavit *Ego ut — sic vos* pro *Ut ego — sic vos*, atque idem ille, tanquam se ipse levitatis accusaret, delevit §. 72, ubi praebet *et quod unquam verbum* pro *verbum ecquod unquam — excidit* etqs.; saepius vim verbis ita conciliat, ut quae voce efferenda putet, sententiae initio collocet, velut §. 25 *Si hoc putas esse regium, me confiteor regem*, §. 65 *nolle fieri illam rogationem de se*, §. 44 *convictum tuo iudicio*, §. 59 *complexi suas possessiones*, §. 34 *illis rebus*, alia. Quae cum ita sint, cum tot in illo et tam singulares res inveniantur, quae ab omni veritate testimonii longissime videantur abesse, iure nostro videbimur neque his fidem adiungere neque ceteris, nisi id vel necessitas aliqua in rebus ipsis posita postulaverit vel extrinsecus allata auctoritas suaserit: quod vero eum in aliis cum optimo libro convenire, in pluribus autem deteriores sequi, saepissime vero suo iudicio qualicunque stare videmus, illud profecto adducor, quo iam dudum inclinat sententia, ut hominem — sic enim ferebant illa tempora — quadam elegantia imbutum neque iudicio satis confirmatum scripturis temere vel ex diversis libris congestis vel ingenio inventis textum tanquam egregium quoddam ποίκιλμα confecisse credam. His igitur praemunitis aggrediamur ad singula. XXIII, 64 Orellio cum per se suspecta essent verba *L. Caecilii* in his: *Si paulo etiam longius, quam finis quotidiani officii postulat, pietas et fraternus amor L. Caecilium protulisset, implorarem sensus vestros, uniuscuiusque indulgentiam in suos testarer, peterem errato veniam L. Caecilii ex intimis vestris cogitationibus atque ex humanitate communi*, tum ea etiam suspectiora facta sunt testimonio Parcensis hoc: *errato L. Caecilii veniam*, id quod tu ita commemoras, ut ne verbo quidem impugnes. Mihi quidem, ut hoc primum afferam, mirum videretur, ni id invenirem in eo libro, quo hanc ipsam verborum collocationem toties vexatam esse ex iis, quae supra secundo loco posui, exemplis compertum haberem. Ipsa autem iteratio nominis eiusque traiectio sive eo consilio facta est, ut quod in perpetuitate dicendi omissum videretur, perspicuitatis causa cursu orationis quodammodo interpellato adiiceret (v. Pal. Cic. p. 145 ed. alt.), sive, quod mihi magis probatur, ita est comparata, ut quae sibi contrarie relata essent, ea quo essent illustriora coniungeret (v. ad Lael. p. 167), utroque modo egregie cum Ciceronis consuetudine videtur convenire. Atque ut hoc loco rem satis apertam disputatione non attigisti, ita iure quodam tuo totum neglexisti, quod idem Orellius §. 54 ex Parcensi et duobus libris deterioribus edidit: *Ita prorsus; interpositi sunt gladiatores, quod testamento patris deberi videmus* pro eo, cuius clamat veritas: *videmus deberi*: *deberi* enim, in quo verbo summa argumentationis consistat, quis tandem nolit in ipsa sententiae clausula positum? Parcensi hoc quidem dignissimum erat, qui quid sequeretur sententiae, simili errato prodidit §. 14, cum scripsit: *Multum haec vox valere fortasse deberet* pro vulgato verborum ordine: *Multum haec vox fortasse*

deberet valere. Sed iam quo nomine Orellium accusavimus, id transferamus oportet in te ipsum. Quid enim causae putasti esse, ut relicta vetere memoria XXVI, 73 in vulgarium librorum testimonio ac Parcensis acquiesceres hoc: *Accepit P. Sulla, iudices, vulnus vehemens et mortiferum, verumtamen eiusmodi, quod videretur eius vita et natura accipere potuisse?* An hoc dandum Lambino censuisti, quem et omnino constat in collocandis verbis libere plane versatum esse et hunc ipsum ordinem saepius memini attrectare temere, ut Brut. I, 2 *sapientium civium bonorumque*, de Orat. II, 89, 363 *sapientiae laudem et eloquentiae*, aliis locis. Ac vide mihi, quanto praestet tuae vulgata scriptura, cuius rationes collocandi tibi non incognitas esse spero — dixit autem ea de re et Klotzius Tusc. Disp. II, 23, 54. *Ut enim fit in proelio, ut ignavus miles ac timidus — fugiat*, et ego Pal. Cic. pp. 98. 99 ed. alt. — Nam cum ita ante dixisset Cicero, omnia P. Sullae diu multumque et multo labore quaesita unam eripuisse horam, non id poterat affirmare, quod unusquisque sensu iam perceptum teneret, accepisse illum vulnus, cui tanquam secundarium adderet illud *vehemens et mortiferum*, sed in his ipsis verbis, si quid video, novae sententiae nova vis omnis vertitur, ut v. *vulnus* interiectum recte delitescere nec ullum ad sententiam momentum afferre putandum sit. — Extremo loco dicendum est de III, 9 verbis his: *Quare nihil est, quod ex tanto comitatu virorum amplissimorum me unum abstrahas: simplex officium atque una est omnium bonorum causa.* Ex libris, de quorum quidem scriptura constet, nihil huic loco subsidii affertur: utrumque enim verborum ordinem et *omnium bonorum* et *bonorum omnium* a vulgaribus libris pariter sustentari videmus, illum a duobus tuis et Parcensi, hunc, quod Garatonius testatur, a Barber., quem in vulgatis mendosum esse dicit XXII, 63, et, quod ex silentio coniicias editoris Halensis, ab Oxoniensibus. Licet igitur, opinor, ac potius necesse est, ut in re tam dubia, non negligere vel consentiens prope vetustissimarum editionum testimonium vel silentium eorum, quos paulo diligentiores fuisse in edendi officio compertum habemus. Quodsi scripturae ab his proditae aliquid etiam a sententiae ratione commendationis accesserit, iure nostro videbimur spretam a te ac repudiatam in pristinum locum restituere. Neque enim tam numeri causa, qui profecto et gravior ad aures accidit et suavior; sed quod sententiae, ut ita dicam, cardo vertitur in hoc, ut, ne unus ex virorum comitatu amplissimorum abstrahatur, *boni* consentire *omnes* dicantur, quod contra si *omnes boni* dicerentur, simul et illud notaretur ac praedicaretur, omnes, qui consentirent, bonos esse, quod quidem in hac aequalitate bonorum et virorum amplissimorum non erat cur fieret; illam igitur ob causam praeferendum censeo: *simplex officium atque una est bonorum omnium causa. Omnes boni* ea vi, qua diximus, recte positum est, ut hoc afferam, de Republ. VI, 12, 12 (Somn. Scip. c. 2) *te senatus, te omnes boni, te socii, te Latini intuebuntur;* illum autem locum, quem modo tractavi, adnumerare poteris iis, quos Klotzius et ego nominavimus ad Lael. II, 6.

Res eo deducta est, ut omissa singulorum locorum partitione cetera, quae in unum genus conferri vix possunt, universa disputatione complexi totam huius generis rationem concludamus. Atque in his quoque Parcensem ita sibi videmus constare, ut multo plura exhibeat vel in modum vulgarium vitiosa vel suo, ut dicitur, Marte et ea invita Minerva excogitata: unus cum optimis rarius consentit aut ita sequitur, ut vera et aliena suis et falsis misceat. Itaque in extrema parte orationis unus cum uno Erfurtensi in vero novies convenit, quinquies, ut ante diximus, in ordine verborum, quater in ipsa scriptura §. 85 *nullius litteris de P. Sulla*; §. 86 *huic rei publicae*; §. 89 *at ut afflicta*; §. 91 *malo*; cetera, si vera sunt, aut communia sunt Erfurtensi cum aliis et vulgaribus libris, ut §. 83 *servare* cum 5 Oxonn.; §. 85 *videtur* cum Bern. Elector. ed. Bonon. 4 Oxonn.; §. 88 *tanti sceleris* cum Pithoean. H. Steph.; §. 90 *pateat* cum H. Steph.; §. 93 *in re publica* cum tribus tuis, 3 Oxonn., aut singulari quadam auctoritate sustentantur, ut §. 92 *vos reiectione* scholiastae Ambrosiani; sin autem falsa sunt, aut suo sibi errore aut levi fide vulgarium nituntur, quorum illud bis et vicies (§. 81 *non nosset*; *si nulla R. P. ca*; *quare*; §. 83 *laboribus, periculis; consilio et virtute*; §. 85 *assumo*; §. 86 *munimine*; §. 87 *ducor*; §. 89 *disciplinarum et scholae* cum H. Steph.; *reposcit*; *calamitatem suam possit*; *obtestor*; §. 90 *expectes*; *eius*; *dolore et cruciatu*; §. 91 *ex voluptate*; *suffragium*; *relictus esse* cum H. Steph.; §. 92 *miseriis*; *tutam repono*; *ego ut* cum Parc. 2; §. 93 *et mea et vestra*), hoc etiam saepius factum invenimus. Neque alia eius ratio est in priore parte, in qua primum hoc memorabile est, quod unus Parcensis cum optimis libris Erfurt. et Palat. IX. in ea scriptura convenit, quae vix possit esse ex coniectura profecta §. 36, *qui audissent eos pari calamitate esse, quaesiverunt, essentne eadem voluntate*, cum idem eadem sectione paulo ante et ab illis ipsis libris et ab Ambrosiano discedat in vv. *Quis negat? Sed lege indicium et vide*. Levius est, quod §. 39 *indiciis* dedit cum Ambros. et uno libro ms. Lambini, quorum illum ita idem relinquit, ut verba alio et vulgari ordine ponat. Quod autem §. 40 in eo legitur *convertistis*, quod non Palatinus solum nonus, sed etiam, ut videtur, plures Oxonienses servarunt, nam de duobus modo altera memoria *contulistis* prodita est, id profecto tale est, ut, unde ductum sit, in medio relinqui debeat. Sed his ipsis, quae modo attulimus, eodem sententiae revolvimur, quo et initio huius disputationis, cum de supplementis diceremus, et post in ordine verborum incidimus, esse in Parcensi nonnulla, quae dubitari non possit quin ex libris petita sint, qui quidem non aequarent virtute sua optimos illos Erfurt. et Palat. IX, sed tamen ab his propius abessent, quam vulgares; plures autem et auctoritate diversos libros secutum ut putemus, cum perpetua facit eius inconstantia ac rerum optimarum pessimarumque vicissitudo, tum certiore etiam testimonio adducimur duorum locorum §. 53 et §. 91, quibus διττογραφίαν commemorat: quodcum eum cum bonis raro, cum deterioribus multo saepius, saepissime vero cum nullo consentire, sed ex arbitrio suo pendere videamus, profecto stulti es-

semus, si fidem eius praesertim non aliunde confirmatam pluris aestimaremus, quam cuiuslibet vel interpolatoris vel correctoris. Qui si pauca unus habet, in quibus omnes numeri veritatis inesse videantur, videndum certe est, ne qua specie decepti eum in errorem abripiamur, ut haec ipsa ex libris ducta potius quam ex coniectura petita putemus comprobemusque illud Orellii, qui censet illum, „quia casu nactus esset praestantissimum exemplum, multa longe integriora nobis servasse, quam non modo vulgares libros, verum etiam Erfurtensem." Quae qualia sint, quoniam partem eorum iam profligavimus, in reliquis superest ut cognoscamus. Ac primum §. 66, quod Gruterus edidit ex MSS., ut ait, et vett. edd. *Atque in ipsa rogatione ne per vim quid ageretur quis tamen nostrum Sullam aut Caecilium verebatur?*, pro quo in duobus Francii *quis tum vestrum* exstare testatur Graevius receptum illud mutato pronomine et ab ipso et a Garatonio, in hunc modum utrumque deflexum est in cod. H. Stephani et Parcensi, quemadmodum Lambinus cum Sylvio voluerant: *quis tandem* etqs. Atque in magna specie veritatis quis tamen non videt vanitatem coniecturae, quam praesertim Parcensis fecerit, ut statim agnosceres, addito, quo videlicet aequabilius flueret oratio, verbo *egit* sic: *Atque in ipsa rogatione ne quid per vim ageretur egit. Quis tandem nostrum* etqs. Itaque te profecto miror, quo pertineret illud *tamen*, non vidisse, qui et recte percepisses vim verborum *in ipsa rogatione* ita expositam: *si rogatio ad populum lata esset*, et de simili usu particulae Matthiaeum attulisses huius ipsius orationis initio I, 1, p. 49 *ut in his pristinae fortunae reliquiis miseris et afflictis tamen haberet quaedam etc.* Apparet enim in hoc versari Ciceronis argumentationem, ut nihil neque egisse per vim neque, si res ita tulisset, acturum fuisse utrumque fratrem liberet: alterum enim, qui legem promulgasset, quae videretur communem salutem prae fratre negligere, hanc ipsam fratris rogatu deposuisse nec quidquam posthac nisi e re publica egisse. Iam haec ipsa, quae dixit, ita auget (*atque*), ut ne si lata quidem esset rogatio, in qua vis non inusitata esset, tamen ab illis quidquam fuisse timendum neget, sed omnem seditionis opinionem ex Antonii improbitate pependisse. Rem credo tam esse manifestam, quam quae possit esse manifestissima; de usu autem particulae, si fas est te admonere, videas, quae post Ernest. Clav. s. v. *tamen*, Heusing. ad Offic. I, 12, 4, Bernhard. et Ellendt. ad Brut. XXX, 114, Kritz. ad Sall. Iug. LV, 1, alios, explicatiora paulo ac descriptiora dedimus ad Lael. p. 529. — Neque rectius factum existimo ab utroque vestrum, quod uno Parcensi auctore pro vulgata illa et ab omnibus contestata particula *quia* substituendam putastis *quoniam* §. 22 verbis his: *Mitto iam de rege quaerere, illud quaero, peregrinum cur me esse dixeris: nam si ita sum, non tam est admirandum regem esse me, quia, ut tu vis, etiam peregrini reges Romae fuerunt, quam consulem Romae fuisse peregrinum.* Quamvis enim et facilis error sit atque in ipsis optimis libris non inauditus, cuius rei exemplo est Mediceus ille Epist. ad Famil. I, 1, 1, neque abhorreat omnino ab huius loci ratione particula *quoniam* — alterum enim *quia*

consilii alicuius vel facti causam affert in ipsa ratione versantem, alterum *quoniam* ex temporum ratione suspensam et eam praesentem id est vi ac necessitate quadam cogentem —: tamen hoc loco quod vehementius confirmaret Cicero non habebat, quoniam satis erat causam non ab illustri quadam minimeque dubia rei veritate, sed ab ipso adversarii argumento qualicunque — addit enim *ut tu vis* — repetere. Alia ratio est vexatissimi illius loci pro Sest. I, 2 *Ego autem, iudices, quia qua voce — utendum putabam, ea nunc uti cogor in eorum periculis deppellendis: iis potissimum vox haec serviat, quorum opera et mihi et vobis et populo Romano restituta est*; in quo ipso tamen scite defensam particulam dicis a Klotzio et Soldano, quode post viderimus. — Sequuntur tres loci, quibus Parcensis cum cod. H. Stephani ita superant ceteros omnes, ut tamen nihil hinc de librorum, quos secuti sint, praestantia, sed tantum de coniecturae cum facilitate tum veritate colligere liceat: adeo in omnibus aperta res est atque in errandi quadam proclivitate posita, ut illa ipsa re de ceterorum librorum fide et auctoritate non modo non detrahatur, sed ea quodammodo augeatur. Itaque §. 48 in verbis: *Imo servitus est non dicere in quem velis ac non defendere quem velis*, cum quidem aberrassent scribentium oculi ad superiorem versum *Regnum est dicere in quem velis ac defendere quem velis*, altera negatio omissa est: omissam ut invitis libris Lambinus et Sylvius, ita ex ipsis libris Francii primus et illi, quos proposuimus, restituerunt, quam operam minus feliciter cessisse Francii primo et Lambino quis non videt? Itemque in manibus erat, quod iidem illi duo dederunt §. 49 *An vero cum honos agebatur amplissimus familiae vestrae, — sapientissimus vir familiarissimis suis succensuit pater tuus, cum Sullam et defenderent et laudarent?* Quippe alienissima ab hoc argumentandi genere ac plane absurda est *at* particula, quae postquam per errorem induci coepta est, tantum intellexisse censendi sunt librarii, ut ad sententiae integritatem negationem addendam sentirent. Denique quod XXII, 62 in omnibus, ut videtur, libris inventum est *in L. Caecilium, prudentissimum atque ornatissimum virum, vehementer invectus est*, id profecto apparet tale esse, ut nemini paulo attentiori peccati suspicionem non afferre debeat: ipsum quidem erroris genus tam frequens tamque pervagatum habetur, quod saepe in omnibus ac vel antiquissimis libris admissum videamus, velut pro Cluent. XXXIV, 94 cum in ceteris tum in palimpsesto etiam Taurinensi. Docte, ut solet, ac copiose cum de ipsa adiectivorum *prudens* et *pudens* permutatione tum de vi ac potestate posterioris disputavit Iordan. ad Caecin. XXXV, 102 p. 295, nisi id unum explicatum requiro, quomodo fiat, ut hoc vocabulum saepe cum dignitatis honestatisque nominibus, velut hoc ipso loco, quem tractamus, coniunctum inveniatur, cui quaestioni lucem afferent ea, quae exposuit Zumptius ad Verr. II, 8, 24 p. 258. — Cetera, quae integriora habet Parcensis ipso Erfurtensi, ut numero non multa sunt, ita originem partim a melioribus libris, partim a deterioribus traxisse videntur; ex melioribus bis cum Bavarico Garatonii §. 65 in vv. *Kalendis Ianuariis* et §. 67

in vv. *de summa re publica*, semel cum Memmiano Lambini §. 63 in v. *auferebat* consentit, ex deterioribus bis Salisburgensem tuum vel solum vel adiunctis aliis sequitur: sunt autem haec §. 52 *Nonas Novembres*, §. 80 *conceditis*. Nam de tertio quodam loco §. 67 vehementer dubito num verum sit, quod ex ipso et vulgaribus libris compluribus adscivistis tu et Orellius: *Hic tu epistolam meam saepe recitas — et ex ea crimen aliquod in P. Sullam quaeris; et, si furorem incredibilem biennio ante conceptum erupisse in meo consulatu scripsi, me hoc demonstrasse dicis, Sullam in illa fuisse superiore coniuratione*. Antiquior enim, ut videtur, Busbequii liber habet *ubi si furor.*, Palat. pr. *et quia si furor.* emendatumque in quinto *quia furor.* omissis vv. *et si*. Quodsi licet in re tam ambigua coniecturam facere, cum illud reputo, omnis illa discrepantiarum varietas ex quo quasi capite ac fonte fluxisse videatur, redeundum arbitror ad illud Busbequii *ubi si*; quod cum explicatum esset ab quopiam *in qua si*, hoc corruptum videtur in modum Palat. pr. *et quia si*: deinde vel *quia* vel *si* omissum. Unum locum sciens praeterii XVII, 46, in quo quam recte receperis ex Parcensi *perculerim ac perfregerim*, mox viderimus.

Finita hac disputatione, quoniam de tertio genere librorum MSS. nihil habeo novi afferre, quae mihi dicenda restant, ea sic libet distribuere, ut primum agam de iis locis, in quibus deteriores libros non recte secutus videaris; deinde de aliorum coniecturis immerito a te vel comprobatis vel repudiatis; tum ubi vulgatam, quam dicunt, scripturam nulla certa causa neque testimoniorum fide deserueris; denique ubi codicum auctoritati nimium, tuo iudicio parum tribueris; postremo de coniecturis a te ipso propositis.

Ac primum deteriores libros MSS. non recte secutus videris in his. — XI, 32 haec leguntur: *An vero nemo clarissimum virum generis vestri ac nominis reprehendit, qui filium suum vita privavit —: tu rem publicam reprehendis, quae domesticos hostes necavit?* Miror hoc loco tantum te dedisse unius libri Salisburgensis auctoritati, ut *nemo*, quod vulgo ante [non ut tute scribis p. 89, l. 8 *post*] *reprehendit* legitur, id tu censeres sententiae initio collocandum. Nam quod affers esse omissam in aliquot libris hanc vocem, profecto id non est eiusmodi, ut aut hoc ipso loco, quo censes, omissam demonstret aut omnino quidquam valeat, nisi qui sint illi libri declaratum fuerit. Hoc igitur incertum et anceps; illud vero perspicue falsum, quod ais in hoc contrariorum genere id est argumentatione, quam dicunt, a minore ad maius procedente subiectum solere praeponi. Quanquam paulo callidior es, qui dicas *solere*, quod si premere velis, iaceam. At tamen resurrexero mox et te a fronte et a tergo urgebo. Neque quod solet fieri semper fieri necesse est, et qua quidque ratione fiat diligenter considerandum. Sunt sane pleraque exempla, quae attulerunt viri a te laudati Madvig. Emendatt. in Cic. Acad. p. 39 et Hand. Turs. I, p. 349 sqq. ita comparata, ut contraria inter se relata aequabiliter oratione structa procedant, velut illud, quod ipsum te refutare potest, pro Rabir. Posth. V, 16: *An vero servos nostros horum suppliciorum omnium metu dominorum be-*

nignitas vindicta una liberat: nos a verberibus — neque res gestae neque acta aetas neque vestri honores vindicabunt? Sed tamen cum hoc et similibus compares velim, quos certe meministi, celeberrimos locos duos, alterum Catil. I, 1, 3: *An vero vir amplissimus, P. Scipio, — Tib. Gracchum mediocriter labefactantem statum rei publicae privatus interfecit: Catilinam vero orbem terrae caede atque incendio vastare cupientem nos consules perferemus?* alterum, qui etiam magis a me est, pro Arch. X, 22: *Ergo illum, qui haec fecerat, Rudinum hominem maiores nostri in civitatem receperunt: nos hunc Heracliensem — de nostra civitate eiiciemus?* Nam illud non vereor ne mihi opponas, utrum haec interrogandi an concludendi particula efferantur magnopere interesse. Vides profecto, ubi duo aut plura conferantur contrariorum paria, posse in iis comparatorum ordinem inverti nec quidquam referre, subiectum an obiectum an aliud quid primo loco ponatur, modo id ipsum, quod ponatur, tale sit, quo tota comparatio tanquam ad caput suum referenda eoque quasi fundamento quodam nixa sit. Pertinet igitur ad hanc quoque sententiarum conformationem chiasmi, qui vocatur, ratio eaque cum ex ceteris exemplis, quae attulimus, facile intelligitur qualis sit, tum hoc loco, quem cum maxime tractamus, manifesto apparet. Quanto enim maior esset res publica singulis civibus, id luculenter demonstrari graviterque dici nisi hoc pacto non potuit. Quid? quod omnino negaverim ne fieri quidem posse, ut pronomen negans in hac sententiarum complexione primo collocetur loco, quoniam quidem non id videtur esse natura sua, unde tanquam a re certa ac praesenti rationis conclusio recte queat proficisci. Sed de hoc alii viderint me acutiores. — Ad idem erroris genus rettulerim, quod XXVI, 74 de Graevii coniectura, quam confirmatam vidisses a Victorio in margine editionis Bononiensis a. 1499, cui accedunt testimonio Orellii ed. Iunt. et unus Oxon., ita edidisti: *In hoc vos pudore, iudices, et in hac vita tanto sceleri locum fuisse creditis?* pro eo, quod paene in omnibus libris et scriptis et editis exstat: *In hoc vos pudore iudicii etqs.* Equidem istius iudicii quae sit ratio non video. An quod paulo ante et post simpliciter dixerit Cicero *pudorem*, quem nunc *pudorem iudicii* dicit, iccirco hoc ipsum dici potuisse negas? aut quod saepius in hac miseratione iudices compellaret, id ut quam saepissime faceret, curiosius providendum potius, quam quomodo semel dicta recte explicarentur, iudicio exquirendum putasti? Vides me non sine acerbitate verum esse idque iure quodam meo facere propterea, quod cum Graevii de hoc loco disputationem ne dignam quidem habuisses, quam totam transscriberes, tantum tamen tribuisti eius ipsius loci, quem exposuisti, levitati, ut ne causam quidem, quare vitiosa esset librorum scriptura, adiiciendam putaris. Res autem meo iudicio sic se habet. Dicitur P. Sulla iudicio damnatus lege Calpurnia, cum multa haberet invitamenta urbis et fori, pudore quodam magis quam odio afuisse ab oculis civium et, cum lege retineretur, ipsum se exsilio paene multasse. Quid igitur fecit ille? nempe non inertia neque ignavia quadam aut necessitate ulla, sed *iudicio* patria caruit,

quemadmodum Brutus dicitur de Orat. II, 3, 10 iudicio a dicendo refugisse itemque Atticus a rei publicae procuratione Nep. Att. XV, 3. Iam subsequuntur illa controversa: *In hoc vos pudore iudicii — tanto sceleri locum fuisse creditis?* quae qui explicari posse putat — putat autem Graevius —: *cum illum puderet huius iudicii, quo damnatus erat,* nae iste tanquam malus medicus, quo artis suae experimentum faciat, sanissima pro corruptis habet.

Deinde, quod proposuimus, dicendum nobis est de aliorum coniecturis immerito a te vel comprobatis vel repudiatis. — I, 1 in verbis his: *quanquam ex huius incommodis magnam animo molestiam capio, tamen in ceteris malis facile patior oblatum mihi tempus, in quo boni viri lenitatem meam misericordiamque — cognoscerent, improbi ac perditi cives, redomiti atque victi, praecipitante re publica vehementem me fuisse atque fortem, conservata mitem ac misericordem faterentur* retinuisti quod et ab omnibus paene MSS. et ab antiquissimis editionibus proditum fuit *redomiti,* pro quo in posterius impressis aut *edomiti* invenitur aut singulari sive consilio et coniectura ipsius Aldi sive operarum eius errore *re domiti.* Sed tamen hanc ipsam qualemcunque scripturam, cum diu neglecta ab omnibus ac spreta iacuisset, denuo animum advertit et muto quodam patrocinio restituit R. Klotzius, cum quidem, ut ais, lecturis permisit, ut ipsi illorum verborum sententiam indagarent, quam te quidem fateris frustra quaesivisse. Quid igitur? Nempe visa est illi res ipsa loqui, quae mihi quoque ita se dare videtur, nihil ut aut altius indagandum aut e tenebris eruendum videam. Nam illud quidem apparet atque exstat, quod et Orellium fugit sic interpretantem verbum *redomiti: ita domiti, ut omnes eorum conatus repressi sint,* nec te satis intellexisse plus una ratione probabile est, verbis *redomiti atque victi* non compressae a Cicerone coniurationis Catilinariae memoriam refricari: id quod profecto vanissimae iactationis esset, hoc prae se ferre ac profiteri, quod non modo non necessarium in tanta perditorum istorum civium celebritate famae, sed etiam alienissimum esset ad animos eorum ab inveterato odio pristinaeque iniuriae recordatione ad novae clementiae cogitationem avocandos; imo tota pertinent ad praesentem causam ac defensionem P. Sullae, quam quoniam susceperit, ita se Cicero domiturum illorum contumaciam sperat, ut quod saepe verbis et iis copiosissimis, qualia sunt Catil. IV, 6, etsq., frustra ante contenderit, id iam re id est defensione hominis illius ipsius coniurationis rei impetraturum se confidat. An putas quidquam verius aut magis ex ipsa re atque intimis Ciceronis cogitationibus expressum esse? Meministi profecto illa de imp. Cn. Pomp. XVIII, 52 *Obsolevit iam ista oratio re multo magis quam verbis refutata;* Lael. VII, 24 *atque hoc quidem omnes mortales et intelligunt et re probant;* pro Sest. XL, 86 *qui mihi videtur re docuisse, non verbis, quid oporteret a praestantibus viris in re publica fieri*, similia sexcenta. At, inquis, in hanc ipsam partem accipi volui *redomiti,* quod explicavi *domando ad sanitatem reducti,* quod quidem tuendum existimo propter summum libro-

rum consensum, etsi non iam diffiteor me intelligere, quid rei sit in illo *re domiti*. At eripis nobis rem pulcherrimam, pro qua nudum quiddam relinquis et id insolens ac nescio an portentosum. Quam enim similitudinem affers verbi *revincere* ex Hor. Carm. IV, 4, 24 *Lateque victrices catervae Consiliis iuvenis revictae* et ex Tacit. Annal. XV, 73 *coeptam adultamque et revictam coniurationem*, ea et tota poetarum propria est neque in eum modum, quem voluisti, explicanda *vincendo reprimere et exstinguere*, quod profecto non multo melius est, quam Orellianum illud ab omni dicendi ratione et consuetudine abhorrens: *prorsus vincere;* imo *revincere* nihil aliud est quam vel *rursus vincere*, quo rerum vicissitudo declaretur, quod cum in aliis verbis alii, tum in celeberrimo illo Virgiliano *lumina morte resignat* Aen. IV, 244 egregie docuit quem nuper matura morte ereptum lugemus Iahnius, vel, quod mihi etiam magis probatur poetaeque ingenio dignius videtur, ad Graeci verbi ἐλέγχειν similitudinem ad eam victoriam, quae contumaciam adversarii non verbis, sed re refellit, translatum existimo. Unum erat ex omnibus Ciceronis scriptis, quod posses videri in rem tuam rectius contulisse, pro Arch. V, 11. *Nunquam enim hic neque suo neque amicorum iudicio revincetur,* quo uno loco revincendi verbum ea sententia usurpatum videmus, qua posteriore aetate frequentari coeptum est, refutandi et refellendi. Quanquam hoc ἅπαξ εἰρημένον facilius ferendum puto, cuius et necessitatem quandam ab ipsius sententiae ratione allatam recte demonstrarit Stuerenburg. ed. alt. p. 112, et excusationem videam in eo positam, quod communi usu trita sit illa simplicis verbi potestas, ut sit *ostendere aliquid ita, ut probes, ut obtineas;* quod idem in *domandi* verbum non cadit. Quod cum per se esset modo egregio illo quidem, sed tamen novo quodammodo et insolito positum — etenim quod aptius occurreret ad contumaciam describendam eorum, qui exsultantes ferocia iniquissimis criminationibus vexare Ciceronis consulatum non desisterent? — tamen si longius processisset imposuissetque novum novae rei vocabulum, quod praesertim nulla analogiae ratione satis defenderetur, iure profecto audaciae ac temeritatis crimen subisset integerrimus ille et omnis insolentiae verborum inimicissimus scriptor Cicero. Nunc non insolentius dictum existimo *re domiti* addito praesertim, quod translationis audaciam mitigaret, *atque victi,* quam quod in simili causa excusandum putavit Madvig. de Fin. III, 1, 2 *nec qui contra dicunt causam difficilem repellunt.* Illud vero non vereor ne mihi obiicias, quod, quantum equidem scio, unus inventus est qui retinere animum induxerit, quod in Mediceo scriptum est ad Famil. I, 2, 1 *Eo die nos quoque multa verba fecimus maximeque visi sumus senatum commemoratione tuae voluntatis erga illum ordinem removere:* quanquam quod editiones habent ex antiqua, ut ait, Orellius correctione *commovere,* non satis ex quo fonte manarit error demonstrare videtur; mihi quidem probabilior videtur illa coniectura, scripsisse Ciceronem *renovare* id est senatum longa illa, de qua ante dixerat, consulis et tribuni plebis altercatione fatigatum recreare, de cuius verbi in re oratoria usu cfr. de In-

vent. II, 15, 49, Quint. I. O. VI, 3, 1; simplex verbum *novare* eadem in re posuit Cicero de Inv. I, 17, 25. — Deinde XVIII, 51 imposuit tibi, ut videtur, viri acutissimi nomen et auctoritas, ut et a librorum scriptura omnium et a consuetudine tua discederes et quod coniectura ille quamvis probabili excogitasset, id in ipsa scriptoris verba recipiendum putares. Nam cum vulgo sic ederetur: *Autronium tum in campo vidimus; — et quid dixi vidisse nos? ego vidi,* satis confidenter Madvigius Opp. Acad. Pr. p. 187: correctionis, inquit, figura aperte postulat: *vidimus: sed quid dixi* etqs. Ut igitur commune illud praeteream, quod quidem neminem praeterit veterum linguarum scientia mediocriter instructum, multis saepe modis contraria non proinde ac debent ut diversa disiungi particulis, sed ut coniuncta copulari solere; ut etiam hoc taceam, in ipsa correctione nihil esse frequentius particulis *et potius, ac potius* idque ipsum tum, cum antecesserit negatio, qua de re praeter ceteros dignus est qui conferatur Heusing. ad Offic. III, 6, 16; sed ut haec omnia praeteream ac relinquam, quae fortasse nimis quis separatim dicta arguat, quid tandem statuendum vivetur de loco, quem unum ita affero, ut plures ab aliis posse non desperem, Verr. IV, 3, 6: *Nuper homines nobiles huiusmodi, iudices, et quid dico nuper? immo vero modo ac plane paulo ante vidimus etqs.?* Nempe eadem tanquam machinatione ac sollertia scribendum censebit Madvigius: *iudices, sed quid dico nuper?* Quid ita? iam non agnosco Danum: Anglum nescio quem praeferre videtur. Itaque si minus exemplorum vel similitudine vel numero, at rationis armis decertare aequius erat. Contendo igitur ac defendo, primum de cursu orationis si quaeratur, moderatiorem ingressionem esse eius, quae per *et* particulam continuo et aequabili tractu leniter ac sedate decurrat, quam quae distincta intervallis et interrupta — hoc enim habet disiunctio — aspera quodammodo ac concitata feratur; deinde, quod est consectarium, *et* particulam una complexione vincire, quae si interrupta essent vocula *sed,* haec ipsa pars ita distincta et in luce posita exstaret, ut alia fortasse maiora atque ipsam adeo rem, de qua dicitur, lumine illa offunderet atque obscuraret suo; postremo alteram particulam *et* connectere, quae ad unam eandemque rem pertineant, alteram *sed* ad alia eaque maiora transitum parare. Quae si ad Sullanae locum transferuntur iudicio, apparet hanc fuisse Ciceronis mentem ac voluntatem initio susceptam, ut diceret: *Autronium tum in campo vidimus, non vidimus Sullam;* quorum extrema cum omitteret, imperfectam reliquit orationem iccirco, ut adderet aliquid non tam correctionis quam praemunitionis causa, quibus additis tum denique ad ipsam rem vehementius augendam (*adspirasse in forum*) rediret. Itaque si integra esset illa sententia: *Autronium tum in campo vidimus,* non nego ita recte se habituram *sed* particulam, ut tamen non esset necessaria (v. Hand. Tursell. T. II, p. 493, 14); nunc cum totius sententiae pars sit atque ea ne necessaria quidem, non potuit Cicero, si plane dicturus erat, ea particula uti, qua vel relinquere institutam orationem et ad nova transire videretur vel ipsius sententiae vim primariae abiicere atque extenuare. — Denique

XXIX, 81 non dubito, quin non recte secuti sitis tu et Orellius Lambini sive, ut Orellio videtur, ex libris MSS. petitam, sive, quod mihi magis probatur, coniectura inventam scripturam hanc: *Accusati sunt omnes uno nomine consulares:* libri enim MSS., qui quidem cogniti sunt, omittunt vocem *omnes,* ex editionibus autem Bononiensis a. 1499 et Iuntina satis miro complemento: *Accusati sunt quaero num hic ille? sed omnes etqs.* Errorem fecerunt verba *uno nomine*, quae si ita intelliguntur, ut recte intellexisse censes I. F. Gronovium, ut significent: *uno crimine*, tum sane vel maxime opus erat addito *omnes.* Verum neque necesse est ea sic explicari et in hanc sententiam si dixisset Cicero: *accusati sunt omnes uno nomine consulares,* vereor ne supra rem ferendo, quam ab accusatore factum erat, causae suae ipse nocuisset; ille enim simpliciter breviterque consulares descripserat, et ita descripserat, ut hoc uno nomine non singulos notare, sed ordinem complecti videretur: qui si verum diceret ac non invidiam concitaret, debebat hunc et illum nominare, non uno nomine consulares dicere.

Iam, ut ad tertium locum pergamus, res admodum controversa atque in incerta plane testimoniorum fide plena dubitationis est de XXI, 62 verbis his: *At enim et gladiatores et omnis ista vis rogationis Caeciliae causa comparabantur. Atque hoc loco in L. Caecilium — vehementer invectus est.* Omissam enim in plerisque vetustioribus editionibus praepositionem *in* (*hoc loco*), in paucis alio loco positam primus et addidit tacite et collocavit sic, uti deinceps vulgari coeptum est, Gruterus: *in hoc loco;* quod cum ab Orellio reiectum primo deinde repetitis curis rursus esset revocatum, tutius tibi visum est, quo similis inconstantiae crimen vitares, tuorum librorum quamvis non optimorum testimonium sequi, quam quidquam nulla auctoritate satis stabilitum neque id ita commendatum ab dicendi usu et ratione propagare. Quod ego profecto summa laude dignum putarem, nisi mihi difficilius persuaderem, id ipsum, quod a vulgari more Ciceronis paulum recederet, diligentissimum virum Gruterum sibi ipsum suo arbitratu addidisse. Nam illud quidem in dubium vocari non potest, quin ita ferat Ciceronis consuetudo, de qua paucis disseruit Madvig. de Fin. IV, 26, 73, p. 599, quae facile augeri poterunt his exemplis: de Fin. II, 10, 30. *Luxuriam non reprehendit, modo sit vacua infinita cupiditate et timore. Hoc loco discipulos quaerere videtur, ut qui apti esse velint philosophi ante fiant;* pro Mur. VII, 15 *Contempsisti L. Murenae genus, extulisti tuum. Quo loco si tibi hoc sumis etqs.*; pro Planc. XXIX, 70. *Quo loco quaero ex te etqs.*; ibid. 71 *Quo quidem tu loco etiam purgasti inimicos meos;* XXXII, 77 *Negas tribunatum Plancii quidquam attulisse adiumenti dignitati meae. Atque hoc loco L. Racilii — divina in me merita commemoras*; pro Sest. XL, 86 *Et tu hoc loco laudas Milonem et iure laudas,* aliis; eademque vi innumerabilibus locis adverbium *hic* positum quis nescit? Quodsi nihil aliud quam de exemplis ac numero quaerimus, res acta est: nam quod unum exstare atque a nobis esse videbatur p. Rosc. Amer. XXVII, 73 *Ita quaero*

abs te, C. Eruci, quomodo? et sic tecum agam, ut in eo loco vel respondendi vel interponendi tibi potestatem faciam, id ipsum pridem nobis eripuit egregia coniectura Madvigii *meo loco.* Sed tamen vehementer dubito, num ita per artis legem liceat, quae mihi quidem flagitare videtur, ut quid quisque locus sui habeat aestimemus atque expendamus. Itaque contemplanti mihi, quid huius loci, quem cum maxime tractamus, proprium sit, hoc primum sponte occurrit, omnem illum locum accusationis versatum ac paene consumptum esse in ea re, ut in L. Caecilium inveheretur, quam si leviter perstrinxisset aut per occasionem ipsi capiti adiunxisset accusator, recte praepositio abesse deberet, ut abest illis exemplis, quae supra a nobis allata sunt. Itaque *in hoc loco* dictum apparet ad rei perpetuitatem declarandam idemque valere quod: *dum in hoc loco id est argumento sive accusationis parte versatur,* de qua vi praepositionis in significandis vel factis vel temporibus multos dixisse non est quod te moneam. Atque ut aliquid exempli afferam, quod pro me sit, adscribo p. Mur. XXVI, 54: *Nunc mihi tertius ille locus est orationis de ambitus criminibus — retractandus: quo in loco Posthumio, familiari meo, ornatissimo viro, de divisorum indiciis — respondebo.* Nam aliena esse ab hoc loco, quae de praepositione vel ponenda vel omittenda dixerunt vel Hand. Turs. III, p. 247 vel Zumpt. Verr. p. 772., nemo est quin intelligat. — Multo etiam minus quid a Ciceronis manu profectum sit licet definire in duobus locis, quibus ipsa Gruteri editio nullo melioris libri testimonio allato vel ab antiquioribus editionibus vel a tertio genere librorum MSS. dissentit. Prior est XV, 44, in quo pro vulgata scriptura: *cum tibi prius etiam edituri fuerint indicium scribae mei, si voluisses, quam in codicem retulissent*, ex Iunt. et Lambin. cum codd. Graevii et tribus tuis, quibus addendi Oxonn. H. C., qui quidem per se soli numerandi non sunt, mutato paulum ordine verborum recepisti hoc *edituri indicium fuerint,* quod quamvis non diffitear numerorum suavitate mihi quoque non displicere, tamen verum esse praestare equidem non audeo. Itemque altero loco XX, 58 plane in librorum positum est auctoritate, utrum id, quod tibi rectius videtur, scribatur: *Ipse autem Sitius — is homo est aut ea familia aut disciplina, ut credi possit eum bellum rei publicae facere voluisse?* an, quod vulgatum est, *ac disciplina*; nam illud quidem satis defensum est summorum virorum disputationibus, quos ipse nominasti ad huius orationis XV, 44. p. 104 et p. Sest. X, 24. p. 127, in interrogationibus ad negationem compositis aut improbationem significantibus quae nobis coniungenda videantur, ea a Latinis saepe disiungi, modo distingui notiones recte possint. Sed hoc loco *aut* particulam ex editionibus ambae Venetae, ex codd. tres tui, duo Oxonn. H. ς, et, cuius non multo maior auctoritas, fides certe enim infirmior est, Parcensis tuentur, quod ne tibi quidem satis videtur testimonii fuisse ad recipiendam in orationis verba particulam *aut*.

Denique X, 31 in verbis *In quo primum illud erat absurdum, quod cum ea, quae leviter dixerat, vobis probare volebat, eos autem, qui circa iudicium stabant,*

audire nolebat, non intelligebat ea, quae clare diceret, ita illos audituros etqs., quod dicis te fere propensiorem esse ad amplectendam scripturam *quae leniter dixerat* eamque in orationem fuisse recepturum, nisi altera illa *quae leviter dixerat* a libris magis commendaretur, primum non recte mihi videris librorum in hac re auctoritatem tanti facere, quanti eam faciendam esse statuis (v. Iordan. p. Caecin. III, 8, p. 155). Quosi verum esset quod ais *leniter* magis convenire cum eo, quod contrarie positum sit *clare*, debebas hoc ipsum *leniter* acerrime defendere in eo praesertim scriptore, qui nihil soleret levius dicere ac negligentius. Nunc vero profecto eum *leviter* dixisse, *leniter* ne potuisse quidem dicere, videor mihi iis argumentis esse probaturus, quibus omnis dubitatio tua tollatur atque exstinguatur. Dixerat L. Torquatus de scelere P. Lentuli suppressa voce, magna et queribunda de eiusdem supplicio et carcere, idque absurde fecisse dicitur, quod illa, quae iudicibus tantum probaret, leviter, haec vero, quae illi non probabant, *clare* dixerit. Vides igitur in his *claram* vocem id est talem, quae ab omnibus facile exaudiri possit, ei esse oppositam, quam vix proximi exaudiant id est *suppressam*, quae quidem lenis dici nullo pacto potest. Quid enim? lenitas dicentis, sive ad os et pronuntiationem refertur, quae nihil habeat asperitatis, quo quidem modo *presse et leniter loqui* coniungi solent (v. Ern. Lex. Technol. p. 302), sive ad ipsum orationis genus nullo vehementiore nec animi nec vocis motu incitatum spectat, quo in genere cum alii, tum Cotta ille excelluisse dicuntur idque proprium vindicatur senum Cat. Mai. IX, 25, nihil profecto habet in se, quod quominus clare ad aures accidat impedire videatur. Contra qui *leviter* dicit, cum non ea gravitate vel verborum vel vocis utatur, quae rei magnitudine digna sit, aut minus dicit, quam par est, remque ipsam extenuat, aut ita pronuntiat quae dicit, quasi levia sint nec satis digna auditu, hoc est *abiicit* verba negligentius (v. Intt. de Orat. III, 26, 102., Orat. LIX, 199) itaque obscurat, ut latius manare non possint. Atque hoc ita esse, uno illo praeclarissimo exemplo Ovid. Heroid. III, 83, in quo Briseis tantum ab Achille sibi veteris amoris impertiri vult, ut a nova coniuge capillos suos scindi ne patiatur: *Neve meos coram scindi patiare capillos Et leviter dicas: Haec quoque nostra fuit*, egregie confirmari intellectum iam est a Burmanno ad h. l.; nam illud apparet nihil esse decentius pudentiusque illo *et leviter dicas* ex persona eius, quae levissima amoris significatione contenta ne maiora vehementius expetendo novae coniugis iram et suspicionem moveret sedulo integreque caverit. Neque diversa ratio est versus illius Catulliani, quo usus iam erat Gruterus, LXXXII, 8 *Audibant eadem haec leniter et leviter*, in quo *leniter* significat asperitatem loquendi (*hinsidias*) mitigatam, *leviter* autem, gravitatem attenuatam pronuntiationemque aequabilem factam esse.

Simile est, quod quidem ad codicum attinet auctoritatem, quod plerosque libros secutus XXIII, 65 edidisti *mandato Sullae*. Rem confectam arbitror disputatione eius, qui novissime de ea exposuit, Iordani pro Caecin. VII, 19, p. 175.

Reliquum est, ut de coniecturis dicamus, quarum nec amplam, ut in satis emendata oratione, proferendi copiam nactus es, et prolatas sua quamque ac propria laude modestiae ornasti. Ac primum XVIII, 52, cum vulgo sic scribatur: *tunc tuus pater, Corneli, — illam sibi officiosam provinciam poposcit, ut cum prima luce consulem salutatum veniret, intromissus meo more et iure amicitiae me in meo lectulo trucidaret*, tantum tu quidem recte vidisti, utrumque et rem ac veritatem et rationem grammaticam obstare, quominus *cum* particulam coniunctionem putaremus esse potius quam praepositionem, sed tamen quod dissolute haec dicta ferre non posse tibi videris malisque coniuncte scribi: *veniret et intromissus — trucidaret*, specie quadam deceptus — dicam aperte quod sentio — in errorem non levem induci te passus es. Tantum enim abest, ut haec dissolutionem non recipiant, ut coniunctionem, etiamsi testatior esset a libris MSS., tamen ego delendam censerem: quam enim in hoc genere vel optimorum librorum incerta fides sit, uno luculentissimo exemplo Guelferbytani prioris de Verr. I, 36, 91 docet Madvig. Opp. Acad. Prior. p. 331. Sed ne temere nos iudicasse aut obscurum quendam sensum magis quam rationem certam secuti videamur, antequam de loco, quem proposuimus, explicatius dicatur, universum genus dissolutionis, quod quidem cadit in duo vel verba vel membra orationis, ad quas rationes sit revocandum inter nos oportet conveniat. Quod mihi omnino videtur hoc habere, ut, cum coniunctione res iuxta ponantur, id est, ita ratione discernantur, ut et per se quaeque et propter se esse nec alteram altera vi ac gravitate vehementius superare significetur, illo res aut suapte sponte coniunctae ac tanquam una notione comprehendendae ac colligandae aut alterius adiunctae tanta vis esse declaretur, quantam quis non verbo aliquo, sed ipso pronuntiandi sono assequi posse videatur. Ad prius genus referenda dissolute posita vel consulum et magistratuum nomina, vel contraria, ut *docti indocti*, vel cum quis duabus rebus universum quoddam genus complectitur [v. Madv. Opp. Acad. Pr. p. 490, Stuerenb. pro Arch. ed. pr. p. 110], vel cum res ipsae, quae verbis declarantur, coniunctae affinesque sunt, ut pro Quinct. XXIII, 75 *adsunt, defendunt*; Divin. in Caecil. IV, 11 *adsunt, queruntur*; Catil. II, 6, 12 *paruit, ivit*, vel in narrationis celeritate: quanquam haec ipsa exempla, quae extremo loco nominavimus, plerumque ita sunt comparata, ut medium quendam inter utrumque genus locum teneant, quippe in quibus non modo cogitatio unius actionis animo sit informanda, verum etiam alterum membrum non sine singulari quadam vi ac contentione additum esse appareat. Quod quale esset, probe iudicavit Klotz. Tusc. Disp. I, 47, 113. *Cum enim illam* (Argiam sacerdotem) *ad solemne et statum sacrificium curru vehi ius esset — morarenturque iumenta: tunc iuvenes illi* (Cleobis et Bito) *veste posita corpora oleo perunxerunt, ad iugum accesserunt:* quibus verbis quis negat esse praeclare descriptum non modo quam promptis animis quam celeriter, sed multo etiam magis quam humile officium ac paene inhumanum pro matris caritate filiorum susceperit pietas? Nostrates quidem in hac sententiarum ratione

usurpant *und dann,* gravissimo sono vocis expressum. Minus subtiliter, quam solet, in explicando simillimo loco versatus est Madvig. de Fin. II, 19, 60. *Quid? fortes viri voluptatumne calculis subductis proelium ineunt, sanguinem pro patria profundunt, an quodam animi ardore atque impetu concitati?* in quo celeritatis quidem ratio nulla est: vis omnis vertitur in eo, ut ab initio actionis, quod per se levius est, ad eius summam progrediatur oratio, quam momentum maximum afferre dempta coniunctione ipso sono vocis gravissime demonstret. Licet, opinor, in his ipsis exemplis, quae modo attulimus, subsistere eorumque rationem accommodare ad illum locum, unde egressi sumus. Vides Ciceronem de una actione loqui eamque acerbe appellare *officiosam provinciam.* Quodsi ea, quae explicandi causa adiiciuntur, copula, ut vis, disiuncta essent, et rerum ad unam actionem pertinentium, ut ita dicam, necessitudo tolleretur, et vero de acerbitatis vi, cum istud officium circumscriptum videretur esse salutationis terminis, multum imminueretur; nunc vero, omissa copula, officii appellatio ad ipsum quoque trucidandi consilium pertinet, qua dissimulatione, in tanta praesertim rei atrocitate, haud scio an nihil plus possit habere aculei. Quae praeterea in promptu sunt eius generis exempla, sunt ea quidem minus illustria nec tantum habent nervorum, quantum illa superiora, sed tamen omnium hoc est commune, ut res ponant non modo proxime consequentes et necessario quodam vinculo coniunctas, sed etiam tales, quarum a leviore ad graviorem tanquam a primo ad summum celeris fiat progressio: de Inv. II, 24, 72. *Quidam imperator cum ab hostibus obsideretur neque effugere ullo modo posset, depactus est cum iis, ut arma et impedimenta relinqueret, milites educeret,* quem locum in simili causa attulit Iordan. pro Caecin. XVI, 45, p. 215. — Catil. II, 6, 12. *Hesterno die — senatum in aedem Iovis Statoris vocavi, rem omnem ad patres conscriptos detuli;* Verr. I, 36, 91, quem supra commemoravi: *reliqua vendidit, pecunias exegit;* Tusc. Disp. V, 21, 62. *Atque ei* (Dionysio) *ne integrum quidem erat, ut ad iustitiam remigraret, civibus libertatem et iura redderet.* Gradationem vel potius amplificationem habet progressio in his: de Orat. I, 11, 46. *multi erant praeterea clari in philosophia et nobiles, a quibus omnibus una paene voce repelli oratorem a gubernaculis civitatum, excludi ab omne doctrina rerumque maiorum scientia ac tantum in iudicia — detrudi et compingi videbam:* quo loco non est quod caveam, ne quis tria statuat esse orationis membra et ordine et numero paria. Tusc. Disp. III, 15, 33. *vetat igitur ratio intueri molestias, abstrahit ab acerbis cogitationibus hebetem aciem ad miserias contemplandas;* hanc enim optimorum librorum scripturam restituit Tregderus, restitutam probavit Klotz. Additt. p. 133, cuius de integritate non debebat dubitare Kühner. p. 268 ed. III. — Sed quoniam inchoavimus huius loci mentionem, vexatissimi illius, ut scis, hominum doctorum studiis et opinionibus, placet eam non ante dimittere, quam quae a te ipso putem in hoc genere minus recte esse excogitata, ex omnibus orationibus collecta in unius contentionis iudicium vocaverim. Ac primum pro

Sull. XXXII, 91 *O miserum et infelicem illum diem, quo consul omnibus centuriis P. Sulla renuntiatus est!* dubitas, an in lemmate scholii Ambrosiani *et* post *miserum* recte omittatur. Vereor, ne vel antiquissimae auctoritati vel testimonio, quod affers, Zumptii nimium tribueris. Quamvis enim negari non possit, quod Zumptius Verrin. p. 984 ad omnia eius generis exempla transferre videtur, id factum esse in singulis, ut alterum adiectivum sine coniunctione additum haberet quandam cum gravitate amplificationem [cumulationem dicis pro Sest. §. 58 p. 182, quod non est Latinum]: tamen hoc et multo rarius factum est, quam vulgo putatur, et in hoc ipso loco quamvis pleno doloris fieri omnino potuisse nego. Causa haec est: *o miserum, infelicem diem* non magis recte dici existimo quam vel *qui tam diligens, attentus esset* pro eo, quod scripsit Cic. Verr. I, 48, 126 *qui tam diligens, tam attentus esset,* vel *o tempora, mores* pro usitato illo *o tempora, o mores!,* vel, ut hoc fingam, *quid crudelius, immanius?* pronomine non duplicato: in quibus omnibus, nisi in eadem verba impetus fiat, vim dicendi non modo obscurari atque infringi, sed paene nullam esse intelligo. Atque hunc qualemcunque sensum postquam ad exemplorum veritatem exigere coepissem, egregie confirmatum vidi: nihil inveni, quod cum illius dissoluti similitudine comparari posset. Cfr. pro Milon. XXXVII, 102. *O me miserum, o me infelicem!* Verr. IV, 65, 146. *o desertum hominem, o desperatum ac relictum a magistratu Siculo!* ibid. V, 38, 100. *o spectaculum miserum atque acerbum;* pro Rab. Posth. XVII, 46. *o meum miserum acerbumque praeconium,* alia, quae afferre nihil attinet. Nam coacervationis (συναθροισμοῦ) quidem, qualem habemus Philipp. II, 6, 15. *O impudentiam, nequitiam, libidinem non ferendam!,* diversam esse rationem, non est quod moneam, quanquam in hac quoque, cum substantiva ipsa cumulantur, interiectio solet iterari, ut in Pison. XXIV, 56. *O scelus, o pestis, o labes!* et ibid. XXVI, 62. *O tenebrae, o lutum, o sordes,* quo loco in palimpsesto Taurinensi idem videmus accidisse, quod in Sullana scholiastae Ambrosiano: neutri, quod sciam, quisquam editorum obsecutus est. — Alter locus est pro Sest. XXVII, 58. *Hunc* (Tigranem) *Cn. Pompeius cum in suis castris supplicem abiectum vidisset, erexit atque insigne regium — restituit* etqs., cui loco relicta Orellii interpretatione lumen nimirum „cumulationis" attulisse vel potius ut suum reddidisse tibi videris iniuria: attende quaeso ad lene et aequabile flumen narrationis: senties profecto alienam esse eam, quae propria sit huius generis, vim et concitationem dicendi. Quam totum dissimile illud orationis pro Cael. XXXII, 79, *quem vos supplicem vestrae misericordiae, servum potestatis, abiectum non tam ad pedes quam ad mores sensusque vestros — sustentate.* Ac ne dubites de grammatica verborum ratione, en simillimus locus Corn. Nep. V. Paus. IV, 5. *quem cum supplicem dei videret in ara sedentem, quaerit* etqs., et ipsius Ciceronis pro Caecin. XXXII, 93. *hunc — nudum in causa destitutum videtis,* quorum hunc quidem etiam impeditiora non reformidasse, cognoscas ex iis, quae scripsimus ad Lael. p. 354, quibus adde de Divin. III, 41, 85.

Iovis pueri, qui lactens cum Iunone Fortunae in gremio sedens, mammam appetens, castissime colitur a matribus; de Caesare v. Schneid. Bell. Gall. II, 17. p. 159 et Goerlitz. Emendatt. Iulian. [Prgr. Viteberg. 1823] p. 7. Itaque et recte se haberet, quod nunc non modo librorum auctoritas, sed etiam sententiae ratio coarguit, Tusc. Disp. IV, 16, 35. *Quid autem est non miserius solum, sed foedius etiam et deformius, quam aegritudine quis afflictus debilitatusque iacens?*, modo appositi loco haberes *iacens* ipsius subiecti *aegritudine quis afflictus debilitatusque*, in quo explicando miro errore lapsum memini Klotzium: et vero optime se habet librorum scriptura Tac. Dial. de Oratt. II, in. *Igitur ut intravimus cubiculum Materni, sedentem ipsum, quem pridie recitaverat, librum intra manus habentem deprehendimus;* de quo tantum adiicio, quod sponte tua intelligis, *ipsum* pronomen in hoc verborum ordine non ad *Maternum*, sed ad *librum* referendum esse. Sed ut ad locum, unde degressa est, redeat oratio, testem te tuum alieno tempore citasse ipsumque illum in simili causa similique narrationis habitu a partibus meis stare, docent ea, quae scripsit de Verr. I, 37, 93. *Malleolus a me productus est et mater eius atque avia, quae miserae flentes eversum a te puerum patriis bonis esse dixerunt.* Denique, ut brevi praecidam, quid mihi de universo genere dissolutionis, quod quidem cernitur in duobus adiectivis, statuendum esse videatur, non multa exempla, ut dixi, vim et acrimoniam habent; longe plurima numero quadam quasi compendiaria ratione et celeritate enumerandi universum quoddam genus duabus sive necessariis sive liberioribus partibus complectuntur; pauca ita comparata sunt, ut alterum adiectivum altero explicetur, ex quo genere est quod loco non suo affert Zumpt. l. l. p. 985 ex Verr. III, 61, 141. *hoc* (crimen) *non esse Romae natum —, non ab accusatore fictum —, non ex tempore — constitutum, sed vetus, agitatum iam et te praetore iactatum* etqs. Sed errores corrigere, quos multos commisit in hac re interpretum non satis diligens observatio, et taedii plenum est et invidiae: satis habeo commemorasse, in altero, quod posuimus, genere versari et quae Stuerenb. pro Arch. ed. pr. p. 110 ex Cic. de Fin. V, 22, 62, de Inv. I, 25, 35 attulit, et quod Zumptius l. l. p. 985 laudavit ex Epist. ad Fam. XIII, 28 med., denique quae Kritzius posuit ad Sall. Iug. XXVIII, 4. p. 162; adde Tusc. Disp. IV, 16, 36. *Ex quo intelligitur, qualis ille sit, quem tum moderatum, alias modestum, temperantem, alias constantem continentemque dicimus.* Ex substantivorum autem genere, in quibus idem fere valere, quod in adiectivis, recte statuisti pro Sest. p. 215, unum libet adiungere maxime memorabile exemplum Verr. IV, 35, 77. *Quid hac tota Sicilia est clarius, quam omnes Segestae matronas et virgines convenisse, cum Diana exportaretur ex oppido? unxisse unguentis? complesse coronis et floribus? ture, odoribus incensis usque ad agri fines prosecutas esse?* Non vidit Zumptius, quem honoris causa nomino, ture et odoribus ut partibus suis totum comprehendi suffimenti genus, sed alterum verbum altero explicari voluit. Nae ista esset explicatio curiosa. Quanto rectius Madvig. Opp. Acad. Pr. p. 490: asyndeton,

inquit, satis apte studium omnia coniungentis exprimit. In Epistolis ad Famil. multa eius generis a cod. Mediceo servata esse docet Orell. III, 8, 2. XIII, 24, 3. Admonent me haec, ut ad te redeam tuumque de asyndeto, quod vocant, bimembri iudicium qua institui via per omnes et orationis et orationum partes disputatione persequar. In quo accidit iam, ut mihi cum amico quodam tuo sit aemulandum, qui praestitam a se operam ita tibi vehementer probavit, ut meam ne tibi venditare videar quodammodo verendum existimem. Quare rem, quaeso, audire, auditam tuo iudicio permittere velis, de me autem sic habeto, in comparanda tua gratia velle me cum quovis contendere, partam nemini obtrectare. Cum igitur diu incertus fuisses quid faceres de verbis, quae leguntur pro Sest. IX, 22. *Nequam esse hominem et levem et falsa opinione errore hominum ab adolescentia commendatum sciebam,* cum ipse duplicem viam interpretandi ingressus esses, quarum neutram recte posse teneri sentires, errantem in viam deduxit animoque confirmavit admonitio amici, scite, ut ais, sic explicantis: sciebam hominem falsa opinione commendatum esse propter errorem hominum ab adolescentia (scil. ductum). At, quaeso, quid tandem refert, utrum error ille ab adolescentia hominis ductus, an ipse homo errore hominum ab adolescentia commendatus dicatur? Quasi vero non sponte intelligatur causam erroris esse adolescentiam, aut, si ista esset dicentis voluntas, non multo aptius vv. *ab adolescentia* leviusque coniungerentur cum v. *commendatum* ea ratione, quam exposuisti p. Sull. XXV, 71. p. 40 *a sua vita — damnatum.* Cfr. ad Fam. XIII, 10, 1 *satis enim commendatum tibi eum arbitrabar ab ipso more maiorum.* Sed cuicuimodi est, quamcunque in partem accipis verba *ab adolescentia*, nihil hinc certe proficimus ad ablativi, qui te maxime vexavit, rationem explicandam. Ut enim te ipsum aggrediar, qui putas asyndeto locum esse in synonymis, quorum alterum gradationem, quam vocas, habeat nullam? an ex animo existimas gravius quid esse *errorem falsa opinione?* Neque asyndeton ad illud genus pertinet, quod a te disputatum §. 14 p. 106 attulisti, neque, id quod ipse vidisti, in explicatione versatur. Sed in hunc errorem, ut videris, ab Madvigio inductus es; alterum, quem nunc perstringam, ipse erasti. Abiecto enim asyndeto utriusque ablativi diversam rationem ita tibi videris comprehendere, ut ille nequam et levis homo propter falsam opinionem non recto iudicio hominum id est errore commendatus dicatur. Imo falsa opinio ex errore proficiscitur, non inverso ordine: illud certius quiddam ac distinctius, hoc communius et infinitius est: error facit ut quis bona fama, quam immerito invenit, id est falsa opinione commendetur. Proxima igitur, non remotior causa commendationis *falsa opinio* est. Dubitationem, si qua restare videtur, eximit verborum ordo: nam cum triplici attributione graviter hominem notatum vellet, duo priora id proxime consequi necesse erat, quod rem causamque maxime contineret, ut haec ipsa sit causa putanda, quod ablativi non eo ordine, quem res et ratio flagitat, sese excipiant, quemadmodum factum invenimus in duobus locis simillimis de Orat. III, 44, 174, quem attuli ad

Lael. p. 49, et Brut. LXXVII, 256 *omissis illis divinis consiliis, quibus saepe constituta est imperatorum sapientia salus civitatis aut belli aut domi* (Liv. XXX, 30. *Paulisper alter alterius conspectu admiratione mutua prope attoniti conticuere*). Quanquam illa ipsa collocatio defenditur Tusc. Disp. III, 15, 31 *arma, quibus eorum advenientes impetus diuturna praemeditatione* (mittelst, in Folge langer vorhergehender Überlegung) *frangantur*. In hac enim paucitate exemplorum acquiescere praestat, quam multa et aliena coacervare. — Superest, ut de duobus locis dicamus, in quibus non modo de asyndeti ratione, sed de ipsa librorum scriptura vehementer dubitatur, quorum utrumque spero me perpurgatum dedisse tam facili coniectura, quam quae possit esse facillima. Prior est pro Sest. XXVII, 58, 59. *Hunc* (*Tigranem*) *Cn. Pompeius cum in suis castris supplicem abiectum vidisset, erexit atque insigne regium, quod ille de suo capite abiecerat, reposuit et certis rebus imperatis regnare iussit, nec minus et sibi et huic imperio gloriosum putavit constitutum a se regem quam constrictum teneri.* 59. *Tulit, gessit, qui et ipse hostis fuit — regnat hodie et amicitiae nomen ac societatis, quod armis violarat, id precibus est consecutus: ille Cyprius miser — est publicatus.* Ex coniecturis vel dicam hariolationibus, quibus plurimis hic locus tentatus est, nulli ne minimam quidem inesse veritatis speciem tecum quicunque huius artis aliquem usum ac scientiam habent omnes consentient; non consentient de explicatione, quam ipse assensu tuo comprobasti, I. M. Gesneri, qui verborum *tulit, gessit* obiectum vult esse insigne regium, quod Tigranes de suo capite abiecerat, ut dicatur illud quasi doni loco tulisse et denuo gestavisse. „Quodsi haec explicatio," inquis, „quae quam dubia sit ipse optime perspicio, comprobetur, tum post hanc exclamationis speciem oratio ita continuanda foret: *Tulit, gessit: et qui* etqs." Noli dubium vocare, quod aperte falsum: nec *ferre diadema* est dono ferre, nec *gerere diadema* idem est quod ferre sive gestare, ut nihil dicam, obiectum verborum illorum non posse esse quodlibet — tale autem, cum multae res ante commemoratae sint, est insigne regium —, sed id, quod cum ad summam eorum, quae dicta sunt, referatur, facile ab unoquoque ac necessario percipi atque intelligi possit. Denique ne sic quidem erat, cur *et* particula orationem continuandam censeres, cuius rei causam iam cognosces. Vide enim ne his tot incommodis remedium repererim praesentissimum. Cicero cum singillatim unamquamque rem attigisset, quam supplici misericordiae suae regi concessisset Pompeii clementia, summam rei breviter complexus, quo acrius eluceret illius viri generositas, gravissime addidit: *tulit, cessit,* i. e. aequo animo eum accepit petentique morem gessit, quod qui caput teneret eorum quae dicta sunt statim agnosceret, sive Tigranem ipsum, sive preces eius animo comprehendisset: germanice dixeris: er nahm ihn an, er gab ihm nach; ac ne forte obiecti opponas mutationem, conferas velim §. 14 p. 106. *si qui se offerunt, insectantur.* Hactenus igitur omnia de uno Pompeio dicta erant: quae sequuntur ita ad Tigranem pertinent, ut, cum et conclusionem efficiant eorum, quae

ante dicta sunt, et eadem contrarie referantur *illi Cyprio*, copulandi particulam aut, quod nonnulli putarunt, index mutati subiecti pronomen *is* non modo non desiderent, sed ne ferant quidem. Altero loco eiusdem orationis §. 79, qui vulgo sic exhibetur: *Atqui ne ex eo quidem tempore id egit Sestius, ut a suis munitus tuto in foro magistratum gereret, rem publicam administraret*, cum in optimo libro Paris. post *foro* additum inveniretur *tum*, in duobus Bernens. et cod. Sct. Victor. *tuo* (*magistratu*), Madvigius Opp. Acad. Pr. p. 476, qui praesertim nec asyndeton ferret nec quod magistratus gestio ad unum locum fori adstringi videretur, coniecturam proposuit hanc: *ut a suis munitus tuto in foro, dum magistratum gereret, rem publicam administraret.* Vellem virum alioqui instructissimum a doctrina ingeniique copia iam sui copiam facientem fortius petisses ac plagam graviorem imposuisses: nunc vero quid velit ille ne satis quidem perspexisse atque adeo adversus umbram pugnare censendus es. Negat nimirum ille recte dici *in foro gerere magistratum*: generaliorem esse eam gestionem, quam quae ad unum huiuscemodi locum adstringi possit; Romae aliquem vel in Hispania, non in foro gerere magistratum; in hoc rem publicam geri sive administrari singulis actionibus, non magistratum universe. Nihil vidi acutius, nihil, quod ipsa veritatis specie mentis aciem magis possit praestringere; tamen egregie falsum est. Quid enim? non negas esse vexatum armis Clodianorum tribunatum Sestii: igitur ne non tuto quidem ipsum magistratum gessisse: quem ut in foro saltem tuto gereret re publica administranda, cum aliis et locis et temporibus non liceret, iure suo videtur id agere potuisse, quod quidem non egit, ut suorum se praesidiis muniret. Quid ais? Nempe manus das mihique concedis de veritate huius coniecturae: *ut a suis munitus tuto in foro tamen magistratum gereret, rem publicam administraret*, quod germanice sic vertas: „um von den Seinen gedeckt in Sicherheit auf dem Forum wenigstens sein Amt zu bekleiden und so das Gemeinwesen zu besorgen." Vides, credo, hoc ipsum sententiae acumen, quod cernitur in verbis *magistratum gereret,* causam fuisse, cur adiiceret Cicero illud alterum: *rem publicam administraret,* quae quidem non aliter dissolute posita sunt, quam illa, quae supra commemoravi: *adsunt, defendunt; adsunt queruntur*, alia. Hoc cum negavit Madvigius, ipse sui oblitus est v. Opusc. Acad. Pr. p. 447; de coniectura eius hoc dico, praeterquam quod per se minus probanda sit propter litterarum similitudinem — nihil enim esse frequentius in libris MSS. permutatione particularum *tum* et *tamen* pleni sunt criticorum libri — hoc dico vehementer offendere, quod verba *dum magistratum gereret* aut loco non suo posita aut ita supervacanea ac potius inepta videantur, quasi quis rem publicam possit gerere, qui non sit in magistratu.

(Reliqua, quae propter certas causas nunc addere non licuit, formis descripta propediem dabuntur unoque cum his volumine coniuncta prostabunt in libraria Ad. Mülleri, bibliopolae Brandenburgensis.)

Schulnachrichten.

Das Schuljahr, welches wir jetzt beendigen, würde ohne erhebliche Störungen vorübergegangen sein, wenn nicht die herrschende Epidemie auch in den Räumen unserer Anstalt ihre Opfer gefordert hätte. Zwei unserer Zöglinge, die Alumnen Carl Julius Christian Wilke aus Oderberg, Schüler der Prima, und Gotthelf Georg Friedrich Laue aus Nieder-Finow, Schüler der Obersecunda, wurden uns in der Blüthe ihrer Jugend, jener am 26. August, dieser am 1. September, durch die Cholera entrissen. Das beklagenswerthe Ereignifs hatte zugleich die Folge, dafs beinahe ein Drittheil der Alumnen von ihren Angehörigen zurückberufen wurde und auch eine nicht geringe Anzahl der Hospiten vom Schulbesuch sich abhalten liefs.

In der Lehrverfassung so wie im Lehrercollegium hat keine Veränderung stattgefunden. Mit Ablegung des pädagogischen Probejahrs war bis Ostern Herr Dr. Johannes Horkel, seit Ostern Herr Dr. Carl Gustav Döllen, und das ganze Jahr hindurch Herr Rudolph Wichmann und Herr Franz Holberg beschäftigt.

Die Schülerzahl betrug im letzten Quartal dieses Schuljahrs 334, von welchen 120 die Anstalt als Alumnen, 9 als Pensionäre des Alumnats, die übrigen als Hospiten besuchten. Von diesen 336 Schülern safsen 44 in Prima (2 Abtheilungen), 71 in Secunda (2 Abtheilungen), 120 in Tertia (3 Abtheilungen), 44 in Quarta, und 55 in Quinta (2 Abtheilungen). Abgegangen sind 104, aufgenommen 101 Schüler.

Zur Universität sind mit dem Zeugnisse der Reife entlassen worden:

a) zu Michaelis voriges Jahres 1) Adolph Eduard Rütenik aus Demerthin bei Kyritz in der Priegnitz, $19\frac{1}{2}$ Jahr alt, $5\frac{1}{2}$ Jahr Alumnus, $2\frac{1}{2}$ Jahr in Prima, studirt Theologie. — 2) Carl Friedrich Kaiser aus Friedeberg in der Neumark, $19\frac{1}{2}$ Jahr alt, $\frac{1}{2}$ Jahr Hospes, 5 Jahr Alumnus, 2 Jahr in Prima, studirt Jura und Cameralia. — 3) Victor Arnold Reuscher aus Cottbufs, 19 Jahr alt, $4\frac{1}{2}$ Jahr Alumnus, 2 Jahr in Prima, studirt Philologie. — Gotthold Robert Hartnack aus Templin, 19 Jahr alt, 2 Jahr Hospes, 2 Jahr in Prima, studirt Jura und Cameralia. — 5) Theodor Friedrich Wilhelm Böhmer aus Stettin, 18 Jahr alt, 2 Jahr Alumnus, 2 Jahr in Prima, studirt Medizin. — 6) Nonus Glum aus Aschersleben, $19\frac{1}{2}$ Jahr alt, $\frac{1}{2}$ Jahr Hospes, 5 Jahr Alumnus, 2 Jahr in Prima, studirt Naturwissenschaften. — 7) Rudolph Neumann aus Beelitz, $19\frac{1}{2}$ Jahr alt, $1\frac{1}{4}$ Jahr Hospes, 6 Jahr Alumnus, 2 Jahr in Prima, studirt Medizin. — 8) Ernst Richard Walter aus Joachimsthal, $20\frac{1}{2}$ Jahr alt, $6\frac{1}{2}$ Jahr Alumnus, 2 Jahr in Prima, studirt Forstwissenschaften. — 9) Hermann Leopold Heinrich Schmieden aus Soldin in der Neumark, $20\frac{1}{2}$ Jahr alt, $6\frac{1}{2}$ Jahr Alumnus, 2 Jahr in Prima, studirt Jura.

b) zu Ostern dieses Jahres: 1) Eduard Bethe aus Muskau, 20 Jahr alt, 6 Jahr Alumnus, 2 Jahr in Prima, studirt Jura und Cameralia. — 2) Carl Pertz aus Hannover, 19 Jahr alt, 6 Jahr Hospes, 2 Jahr in Prima, studirt Philologie und Geschichte. — 3) Julius Lendel aus Luckenwalde, $20\frac{1}{2}$ Jahr alt, 6 Jahr Alumnus, 2 Jahr in Prima, studirt Medizin. — 4) Max Müller aus Bonn, $18\frac{1}{2}$ Jahr alt, 5 Jahr Hospes, 2 Jahr in Prima, studirt Medizin. — 5) Ludwig Hagen aus Pillau, $18\frac{1}{2}$ Jahr alt, 7 Jahr Hospes, 2 Jahr in Prima, studirt das Baufach. — 6) Hermann Ferdinand Eduard Pehlemann aus Gorgast, 21 Jahr alt, $7\frac{1}{2}$ Jahr Alumnus, 2 Jahr in Prima, studirt Jura. — 7) Friedrich Albert Wolfgang Dönau aus Berlin, $19\frac{3}{4}$ Jahr alt, 2 Jahr Hospes, 5 Jahr Alumnus, 2 Jahr in Prima, studirt Medizin.

Durch den Tod verloren wir zu unsrem grofsen Bedauern aufser den vorhin erwähnten Zöglingen noch zwei Schüler, beide der Quarta angehörig, Ehrhardt Rückert aus Berlin und Alfred Jordan aus Andreasberg. Letzterer, ein eben so liebenswürdiger als begabter Knabe, war aus Besorgnifs vor der Cholera von seinen Eltern zurückgerufen worden. Unmittelbar nach seiner Ankunft wurde er in Folge einer Erkältung von einem Nervenfieber ergriffen und starb am 21. September.

Von anderweitigen Ereignissen während dieses Schuljahrs dürften folgende besondere Erwähnung verdienen. Der Geburtstag Sr. Majestät des Königs wurde am 15. October in hergebrachter Weise gefeiert. Die Festrede, diesmal von dem Adjunct Herrn Rehdantz gehalten, behandelte das Wesen der epideictischen Rede. Am 2. November wurden die von dem Magistrat uns überschickten Denkmünzen zur Erinnerung an die Einführung der Reformation in der Mark Brandenburg an einige Schüler der obersten Klassen vertheilt. Wenn wir mit dieser Feierlichkeit bisher einen Redeactus verbunden hatten, dessen alleiniger Gegenstand das Lob der Reformation und ihrer Träger war, so sahen wir uns veranlafst, diesmal von einer solchen Festesfeier abzustehen. Dagegen veranstalteten wir einige Monate später, am 31. Januar, eine Redeübung von allgemeinerem Charakter, bei welcher theils Reden in deutscher und lateinischer Sprache gehalten, theils Vorträge griechischer, lateinischer, französischer und deutscher Dichterstellen mit dem Vortrag angemessener Gesangstücke abwechselten, und am Schlufs einigen der jungen Redner, namentlich den Primanern Walter, Müller, Bossart und Feller, als Anerkennung ihrer Leistungen, Geschenke in Büchern überreicht wurden. In den Abend-Unterhaltungen, welche die Zöglinge zweimal im Laufe des Winters veranstaltet hatten, wurden, aufser Liedern und umfangreicheren Gesangstücken, theils Gedichte, theils Scenen aus dramatischen Dichterwerken vorgetragen.

Die jährliche Abendmahlsfeier begingen die Alumnen der Anstalt in Gemeinschaft mit ihren Lehrern am 13. August.

Von den Verordnungen der uns vorgesetzten Behörden heben wir folgende von allgemeinerem Interesse hervor: 1) vom 19. October 1847. Die mit einem Abgangszeug-

nifs der Reife aus dem Progymnasium zu Deutsch-Crone entlassenen Schüler können ohne weitere Prüfung in den Gymnasien als Primaner aufgenommen werden. 2) vom 15. Juni 1848. Die bisher von dem Professor Dr. Richter redigirten amtlichen Mittheilungen aus der Verwaltung der geistlichen, Unterrichts- und Medizinal-Angelegenheiten sind den gegenwärtigen Verhältnissen nicht mehr angemessen und ist demnach diese Zeitschrift eingegangen. 3) vom 21. Juni 1848. Aufforderung an die höheren Lehranstalten „ihre Wünsche für die Reform und Reorganisation höherer Anstalten" mitzutheilen. 4) vom 29. Juli. Auf die Bundestags-Beschlüsse brauchen die Abiturienten in ihren Zeugnissen nicht mehr hingewiesen zu werden. 5) vom 5. September 1848. Bestimmungen des Wahlmodus der zur Berathung über die Reform der höheren Schulanstalten zu delegirenden Directoren und Lehrer.

Die Bibliotheken der Anstalt erhielten reichlichen Zuwachs theils aus dem etatsmäfsigen Fonds von resp. 200 Rthlr. und 100 Rthlr., theils durch eine aufserordentliche Bewilligung, welche uns in den Stand setzte, die Abhandlungen der Königl. Akademie der Wissenschaften vom Jahre 1812 an für die Lehrerbibliothek anzukaufen. Überdiefs erhielten wir an dankbar angenommenen Geschenken: Zahns Ornamente aller klassischen Kunstperioden (Heft 15. und 16), von dem hohen Ministerium, Seyfferts *Palaestra Ciceroniana* (neue Ausgabe), von dem Hrn. Verfasser, und Balbi *Introduction à l'Atlas ethnographique du globe* (Paris 1826), von Herrn Assessor Seebode.

Für den physikalischen Lehrapparat sind ein Paar Brennspiegel, ein zwischen den Polen eines Stahlmagneten rotirender Elektromagnet, ein elektromagnetisches Schwungrad, das Modell eines elektromagnetischen Telegraphen, ein Peltiersches Luftthermometer und mehrere kleinere Instrumente angeschafft worden. Auf gleiche Weise erhielten die Lehrmittel Behufs des Unterrichts in der Geographie, dem Zeichnen und Schönschreiben mehrfache Bereicherungen.

An Unterstützungen wurden aus den Fonds der Anstalt an hülfsbedürftige und fleifsige Scholaren 400 Rthlr., aus andern Vermächtnifsfonds 170 Rthlr. gezahlt. An Stipendiengeldern für Studirende sind über 2500 Rthlr. verabreicht worden. Überdiefs genossen 34 Schüler das Benefiz des unentgeltlichen Unterrichts.

Eine öffentliche Prüfung, wie sie herkömmlich jedesmal zu Michaelis am Ende des Schuljahrs gehalten wird, findet diesmal, da eine grofse Anzahl namentlich der Alumnen abwesend ist, nicht Statt.

Der Winter-Lehrcursus wird Dienstag den 17. October seinen Anfang nehmen. Zur Prüfung und Aufnahme neuer Schüler bin ich vom 2. October an täglich in den Vormittagsstunden von 10 bis 1 Uhr zu sprechen.

Berlin, den 26. September 1848.

Dr. Meineke.